

SPECIMEN HISTORICO-PHILOSOPHUM,

QUO

PLUTARCHI

DE NONNULLIS CHRYSIPPI PLACITIS JUDICIUM EXAMINATUR.

SPECIMEN HISTORICO-PHILOSOPHUM,

QUO

PLUTARCHI
DE NONNULLIS CHRYSIPPI PLACITIS JUDICIUM EXAMINATUR,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BART. JAC. LINTELO DE GEER,

Phil. Theor. Mag., Litt. Hum. et Jur. Utr. Doct., Prof. Extra ord.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARIAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

FREDERICUS PETRUS JACOBUS SIBMACHER ZIJNEN,

Zalt-Boemeliensis.

A. D. XII M. DECEMBRIS, A. MDCCCL, HORA II.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD VAN HEIJNINGEN & POST UITERWEER.

MDCCCL.

Typis VAN DER MONDE & SOC.

VIRO DOCTISSIMO

DAVIDI CORNELIO PLEIJTE,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT., GYMNASII ZALT-BOEMELIENSIS RECTORI,

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Ce n'est pas assez, croyez moi, que la vertu soit base de votre conduite, si vous n'établissez cette base même sur un fondement inébranlable. Souvenez vous de ces Indiens, qui font porter le monde sur un grand éléphant, et puis l'éléphant sur une tortue, et quand on leur demande sur quoi porte la tortue, ils ne savent plus que dire.

ROUSSEAU, *la nouvelle Héloïse* III : 20.

Quum studiorum meorum cursus eo me perduxisset, ut de dissertatione conscribenda cogitarem, primum mihi proposueram, Ethicam Stoicorum doctrinam aliqua ex parte diligentius exponere. Habebat enim illa nescio quid, quod quam maxime mihi placebat. Excellit accurata notionum verborumque distinctione, commendat se cogitationum consequentia et severitate, adeo ut, si cum reliquarum sectarum ethicis doctrinis comparetur, tamquam virilis et matura inter juvenes esse videatur. Quantam vero eadem in vita tum Graecorum tum Romanorum tam publicam quam privatam habuerit efficacitatem, historia satis testatur. Labente jam Romanorum imperio et marcescente philosophiae studio, Stoicorum doctrina diu adhuc viguit, et praestantissimi, quos Roma corruens tulit viros, Stoicae scholae fuere aemuli.

Zenonis autem et Chrysippi placita perscrutanti liber mihi in manus venit Plutarchi de Stoicorum Repugnantiis. *Hunc librum legenti mihi videbatur saepius Plutarchi de antiquorum, Chrysippi praesertim, placitis judicium pugnare et cum ipsis, quae affert, hujus enunciatis, et cum*

iis, quae apud alios de Chrysippi doctrina morali relata legeram. Animadvertens porro, Wyttenbachium morte prohibitum hanc Plutarchi scriptionem commentario non ornasse, neque alium quemquam interpretem Plutarchi de antiquorum Stoicorum placitis judicium data opera examinasse, haud supervacuam rem facturum me opinatus sum, si investigarem, quatenus de iis recte vel secus judicasset Plutarchus.

Quum vero in libro laudato Plutarchus praecipue agat de Chrysippo ejusque placitis vel Ethicis vel quae cum Ethica doctrina arctius sunt conjuncta, id mihi proposui, ut ea tantum recenserem, quae ad praecipua doctrinae moralis capita, libertatem voluntatis, virtutem, felicitatem, referri possunt. Quo facilior autem et clarior esset haec recensio, necessarium duxi praemittere enarrationem eorum, quae de his argumentis Chrysippus exposuisse videtur, quatenus id ex antiquorum, quae de eo supersunt, testimoniis effici liceat.

Absoluta hac dissertatione, non dubitavi, cuinam hasce qualescunque studiorum meorum primitias dicarem. Dulcis enim mihi, amicissime Pleyte! *semper adest illius temporis recordatio, quo patris optimi cura ad te deductus tua frui institutione, et te duce celebratos illos antiquae Graeciae et Latii scriptores lectitare coepi. Tibi non id tantum propositum erat, ut discipulos in antiquorum vivendi et cogitandi rationem introduceres; non id tantum, ut iis ostenderes, quanta in antiquorum scriptis cernatur elo-*

quentia, quanta venustas, quanta eruditio; sed educandi non minus quam docendi officio fungens, eum humanitatis et verae eruditionis amorem in iis excitare studebas, quo mores emolliuntur et non solum doctrinae copia, sed ipsa quoque virtus et felicitas augetur.

Inprimis vero, vir doctissime! illud magni facio, quod non tantum praeceptor sed etiam amicus mihi esse voluisti, et quum a tuis scholis ad altiores disciplinas dimissus essem, mihi non defuisti tuis consiliis tuaque familiaritate. Hunc ergo libellum accipias velim, ut pignus grati animi, et persuasum tibi sit, semper me eodem erga te animo esse futurum.

Jam vos mihi compellandi estis, viri Clarissimi! quorum institutione tam publica quam privata in Litteris Humanioribus et Philosophia Theoretica usus sum. Vestrae eruditioni aeque ac humanitati plurima me debere, gratus agnosco. Utinam D. O. M. diu vos salvos et sospites servet! Vos autem semper eadem, qua me Litteris et Philosophiae operam navantem excepistis, bene volentiamihi favere pergatis!

Quum alia etiam studia me in alma hac Musarum sede retineant, non vobis valedicendum est, dilecti sodales! quibuscum me conjungit studiorum et amicitiae vinculum. Vos igitur eadem me caritate prosequi pergatis, persuasum vobis habentes, me, quocunque fata ferant, amicitiae fidem pie sancteque culturum esse.

CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.

Antequam de Chrysippi doctrina et placitis deque judicio, quod de iis tulit Plutarchus, agamus, pauca tam de ipso hoc philosopho, quam de ratione, qua Plutarchus ejus recensuit placita, praemonenda esse videntur.

Chrysippus patriam habuit Ciliciae urbem Solos (1). De anno, quo natus sit, viri docti non consentiunt; referendus autem videtur ejus annus natalis ad Olymp. CXXV. (a. fere a. C. n. 276) (2). Patrem habuit Apollonium quendam, Tarsensem, qui postea Solos migravit (3). De ratione, qua pueritiam transegerit, ex antiquorum testimoniis nihil fere ad nos pervenit. Diogenes Laërtius ll. tradit, eum prius palaestra se exercuisse, et postea, amissa re familiari, philosophiae operam dedisse. Athenas profectus ibi civitate

(1) Diog. Laërt. Lib. VII. § 179. Plutarchus de Exilio p. 605 B.

(2) Conf. Baguet, Commentatio de Chrysippo, in Annalibus Acad. Lovan. A°. 1820—1821. p. 33.

(3) Strabo, Lib. XIV. Cap. V. p. 225 (Ed. Tauchnitii). Hinc nonnunquam Chrysippus Tarsensis dicitur. Conf. Suidas in vocibus Χρύσιππος et Ζήνων.

donatus est (1). Audivit Zenonem Cittiaeum et Cleanthem, quem excepit successor in Stoicorum schola. Inter Chrysippi discipulos Zeno Tarsensis et Diogenes Babylonius prae ceteris fama inclaruerunt.

Diem supremum obiit Olymp. CXLIII. (a. a. C. n. fere 204), aetatis septuagesimo tertio (2). De mortis genere alii alia tradunt, nemo tamen retulit, eum sua sibi manu mortem conscivisse.

In philosophia tractanda Chrysippus non, ut Pythagorae discipuli, in verba magistri juravit, neque anxie se suae sectae placitis adstrinxit. Saepius a Zenone et Cleanthe dissidet; quin Antipater Tarsensis opus peculiare dicitur composuisse de differentia inter Cleanthem et Chrysippum (3). Ipsum Chrysippum dictitasse ferunt:

Ἐγὼ δὲ τἆλλα μακάριος πέφυκ᾽ ἀνὴρ,
Πλὴν εἰς Κλεάνθην· τοῦτο δ᾽οὐκ εὐδαιμονῶ.

Id inprimis studuit, ut omnes rationes ab utraque parte consideraret. Statuit ei, qui non id sibi proposuisset ut doctrinae systema conderet (*ἐπιστήμην ἐνεργαζόμενος*), in omnibus rebus assensionem retinendam, et ab utraque parte,

(1) Plut. de Stoic. Repugn. p. 1034 A. Utrum Zenonem audiverit Chrysippus dubio obnoxium videtur (Baguet. l.l. p. 18). Difficilis vero haec est quaestio, quum Zenonis aetas non accurate possit definiri.

(2) Diog. L. Lib. VII. § 184. Suidas, in voce *Χρύσιππος*. — Valerius Maximus autem eum octogesimo aetatis anno Logicam suam ad finem perduxisse testatur. (Lib. VIII. c. 7).

(3) Conf. loca laud. apud Baguet, l.l. p. 23.

quemadmodum coram judicibus, disputandum esse. Id ipse egisse videtur, dum magistro utebatur Cleanthe : hunc enim rogare solebat, ut dogmata tantum sibi exponeret, ipse argumenta, quibus ea niterentur, inventurus. Quo factum est, ut multa dissereret, quae inter se opposita essent, et facile ansam praeberet Carneadi, ipsius placita, postquam philosophiam docere aggressus erat, refellendi (1). Iis vero, qui certam doctrinam discipulis vellent proponere, non temere rationes contrarias admittendas esse existimavit.

Quanta eum veneratione prosecuti sint discipuli, quanti eum fecerit tota fere antiquitas, luculenter docent antiquorum testimonia. Aeneam imaginem ei posuit Aristocreon, discipulus ejus ac familiaris, inscriptis his versiculis (2) :

Τόνδε νέον Χρύσιππον Ἀριστοκρέων ἀνέθηκε
Τῶν Ἀκαδημιακῶν στραγγαλίδων κοπίδα.

Ferebatur de eo hic versus :

Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά.

Cicero sic de eo testatur : „Chrysippus fulcire putatur porticum Stoicorum," vocat eum „hominem versutum et callidum, quippe cujus celeriter mens versetur, cujusque, tamquam manus opere, sic animus usu concalluerit" (3).

(1) Plut. l.l. p. 1036 A, B et E. Cicero Acad. Quaest. II. cap. 27.

(2) Plut. l.l. p. 1033. E. Diog. L. Lib. VII. § 183. Pro τόνδε νέον acute Reiskius conj. τόνδ' ἐνεὸν, *hunc mutum Chrysippum*, i. e. hanc Chrysippi statuam.

(3) Cicero, Acad. II. c. 24. De Nat. Deor. III. c. 10. Seneca, de Beneficiis I. c. 3.

Seneca in Chrysippo esse monet „subtile illud acumen, in imam penetrans veritatem." — Illud inprimis animadvertendum, quum ceteri Stoici generali nomine designentur, Chrysippum saepius nominatim addi (1) : „Chrysippus et Stoici, Χρύσιππος καὶ πάντες οἱ Στωϊκοί."

Tripartitam philosophandi rationem, quae jam a Platone repetebatur : unam de vita et moribus, alteram de natura et rebus occultis, tertiam de disserendo, Stoici antiquiores acceperunt, eamque retinuit Chrysippus, philosophiae partes dicens τὰ μὲν λογικὰ, τὰ δὲ ἠθικὰ, τὰ δὲ φυσικά (2).

In Logica parte Chrysippus praecipue inclaruit, tantamque famam in dialecticis consecutus est, ut antiqui dicerent, si Dii dialectica uterentur, hanc non aliam futuram, quam Chryssippeam (3). Quaenam in logicis statuerit exponere cum non pertineat ad nostrum consilium, consulantur scriptores Historiae philosophiae antiquae, doct. Baguet commentatio laudata, in qua Chrysippi fragmenta collegit, et inprimis doct. Petersen liber, quo *philosophiae Chrysippeae fundamenta in notionum dispositione posita* explicantur (4). — De praecipuis ejus placitis Ethicis infra prolixe acturi sumus.

E Physica Chrysippi doctrina nonnulla nobis afferenda sunt, quae arctius cohaerent cum iis, quae mox in medium

(1) Nota Davisii ad Cic. Tusc. IV. c. 5. Conf. loca Ciceronis, Galeni, aliorum, quae affert Baguet, l.l. p. 16 et 17.

(2) Diog. L. Lib. VII. § 39. Plut. l.l. p. 1035. Immerito Chrysippum h. l. a Plutarcho reprehendi recte monet Baguet, l.l. p. 54.

(3) Diog. L. Lib. VII. § 181.

(4) Prodiit Hamburgi et Altonae. A°. 1827.

proferemus de voluntatis libertate. Cetera igitur practereuntes hoc loco breviter enarremus, quid de divina natura statuerit.

Deum esse non tantum docuit Chrysippus, sed etiam argumentis accuratius demonstrare conatus est. Exstat ejus hac de re argumentatio apud Ciceronem (De Nat. Deor. II c. 6.) : „Si est aliquid in rerum natura; quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit : est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res caelestes omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt; est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem, quid potius dixeris, quam deum? Etenim, si dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse praestantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantiae est. Ergo est aliquid melius: est igitur profecto deus." Si vero quaeritur, qualis sit ille deus, respondent Stoici : eum esse *mundum*, atque in se ipsum omnem substantiam consumere, rursusque ex se ipso gignere (1); et Chrysippus, quem Cicero vaferrimum dicit Stoïcorum somniorum interpretem, „magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare possimus. Ait enim vim divinam in ratione esse positam et universae naturae animo atque mente : ipsumque mundum deum dicit esse, et ejus animi fu-

(1) Diog. L. Lib. VII. § 137. Cic. de Nat. Deor. I. c. 15.

sionem universam : tum ejus ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem : tum fatalem vim et necessitatem rerum futurarum : ignem praeterea et eum, quem antea dixi, aethera : tum ea, quae natura fluerent atque manarent, ut et aquam et terram et aëra, solem, lunam, sidera, universitatemque rerum, qua omnia continerentur; atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti. Idemque disputat, aethera esse eum, quem homines Jovem appellarent; quique aër per maria manaret, eum esse Neptunum : terramque eam esse, quae Ceres diceretur. Similique ratione persequitur vocabula reliquorum Deorum."

Videmus Chrysippum eodem modo, atque antiquiores Stoicos, doctrinam suam aliquatenus vulgi religioni accommodasse, quum deorum nomina retineat, personae vero proprietatem iis neget. Unde factum est, ut ejus placita de diis haud raro confusa sint et incerta, et saepius diis, qui dicuntur, ea adscripserit, quae magis cum vulgi opinionibus quam cum sua, quam modo memoravimus, doctrina convenirent (1).

Permulta Chrysippus scripsit : ejus opera septingenta et quinque implevisse dicuntur volumina, quorum tamen nonnisi fragmenta quaedam restant (2). Causae, cur tam multa scripserit, teste Laërtio, hae sunt : saepius de iisdem rebus agebat; omne in quodcumque incideret, id

(1) Conf. ad hunc locum Tiedemannus, Geist der speculativen Philosophie, II. p. 447 sq.

(2) Diog. L. Lib. VII. § 180.

literis mandabat; magnamque testimoniorum adhibebat copiam. Inde saepius in ejus scriptis inveniebantur loci obscuri, accuratiore egentes demonstratione, et haud raro loco aliquo affirmabat, quae alibi diserte negaverat.

Causae, quae Plutarchum impulerint ad Stoicos tam graviter impugnandos magna ex parte in obtrectatione quadam philosopha sive in *odio theologico* quaerendae sunt. Plutarchus enim, ut notum est, Platonis admiratione ductus, aegre ferebat, quod Stoici non eodem ac Plato honore prosequerentur deos, sed eos in physicis parvi, in ethicis nullius fere facerent momenti. Dein neminem latet, Stoicos in eo quam maxime a Platonicis differre, quod omnia referrent ad vitae actionem sive πρᾶξιν, quum Platonici maxime contemplationi sive θεωρίᾳ operam darent. Denique probabile, Plutarchum a Stoicis sui temporis quodam modo exagitatum fuisse, atque inde explicandam esse acerbitatem illam, qua in antiquos Stoicos invehitur.

Quidquid est, Plutarchum non aeque et placide, quemadmodum eum decet, qui agit de argumento philosopho, Stoicorum placita dijudicasse, eumque, licet eos non raro recte reprehenderit, saepissime tamen, quod adversariorum ratiocinationes non recte intelligeret, inique eos perstrinxisse, manifesto apparet; quod in nostrae disputationis parte secunda, ni fallimur, probabimus.

Liber περὶ Στωϊκῶν ἐναντιωμάτων plurimos continet Stoicorum locos, quos Plutarchus tamquam repugnantes sibi invicem opposuit. Horum plerique e Chrysippi operibus desumti sunt. Agunt ea de logicis, de physicis, praecipue vero de ethicis. Nos vero, reliqua omittentes, ea tantum recensebimus, quae spectant ad *libertatem voluntatis;* ad *virtutis naturam rationemque, qua in vita hominis se aperiat;* et ad *felicitatem, ejusque cum virtute conjunctionem.*

Tali vero recensioni recte instituendae multae obstant difficultates. Plutarchi enim liber, quemadmodum reliqua ejus opera moralia, valde corruptus est, ita ut multis locis vix posset intelligi, nisi adessent Wyttenbachii emendationes et conjecturae, quae haud raro magnam lucem afferunt (1). Dein desideramus ipsa Chrysippi opera, e quibus fragmenta affert Plutarchus, unde fit ut, locorum contextu deperdito, saepe admodum difficile sit statuere, quid Chrysippus hoc illove dicto significaverit.

Denique de Chrysippi fatis, schola, docendi ratione, tam pauca ad nos pervenerunt, ut definiri nequeat, qua occasione et quo vitae tempore hunc illumve scripserit librum, atque adeo ignoremus, utrum Plutarchus locos sibi invicem

(1) Prodiit ante aliquot annos editio Dübneri, omnia Plutarchi opera continens moralia, eleganter typis expressa, additâ versione Xylandri, quemadmodum ea a Wyttenbachio emendata est. Id vero quam maxime in editione Dübneri (apud Didot, a. 1845) desideratur, quod nulla textui adscripta sit lectionis varietas, nullae virorum doctorum conjecturae; unde fit, ut textus magna laboret obscuritate, et versio latina ad hunc referri non possit, nisi adsit lectori Wyttenbachiana editio.

opponat, a Chrysippo partim juvene partim sene conscriptos, an quos eodem fere tempore aetatis chartis mandaverit. Id haud parvi esse momenti, quisque intelligit; si enim multis de rebus alio prorsus modo quis cogitat senex, quam juvenis cogitaverit, laudi non vituperationi locus est.

Ut vero Chrysippi et Stoicorum fragmentis eam afferamus lucem, quae e variis testimoniis et indiciis veterum capi possit, in priore dissertationis parte doctrinam ipsius de libertate voluntatis ceterisque, quae diximus, expposituri sumus, quo facto in recensendis Plutarchi ratiocinationibus poterimus esse breviores.

Fontes praecipuos, e quibus hausimus, hic memorabimus; ceteri suis locis indicabuntur.

Ex antiquis scriptoribus praesertim usus sum:

Diogene Laertio, Lib. VII. ubi Zenonis et Chrysippi vitae enarrantur, et plura eorum placita exponuntur.

Stobaeo, qui in *Eclogarum* Lib. II. moralia explicat antiquiorum Stoicorum placita.

Cicerone in operibus philosophis, inprimis in libro III. *de Finibus bon. et mal.* et in libello *de Fato.*

Aulo Gellio, qui multa servavit Chrysippi placita, quae ad libertatem voluntatis pertinent.

Seneca, qui, ipse Stoicorum sectae adscriptus, saepius lucem affert antiquiorum placitis.

E recentioribus prae omnibus nominandus est *F. N. G. Baguet*, cujus exstat commentatio in annalibus Academiae Lovaniensis, a. 1820—1821, in qua Chrysippi, quae supersunt, fragmenta collecta sunt.

Inter scriptores *historiae philosophiae* eminet *Tennemannus* (T. IV), qui non, ut reliqui, plurium Stoicorum placita permiscuit, sed singulorum doctrinam singulatim exposuit.

Stoicorum antiquorum et nominatim Chrysippi doctrinam de libertate voluntatis exposuit Doct. *D. C. Pleyte* in dissertatione litteraria, exhibente *praecipua placita veterum Philosophorum de libertate morali* (p. 86 sq.), edita Trajecti ad Rhenum a. 1839.

Zenonis *dogmata de conjunctione virtutis et felicitatis* exposuit et dijudicavit *G. Delprat* in annalibus Academiae Lugduno-Batavae, a. 1821—1822.

Praeter hos consului commentationem Doct. *M. M. van Baumhauer*, *Veterum philosophorum praecipue Stoicorum doctrinam de morte voluntaria* explicantem. Trajecti ad Rhenum, a. 1842.

PARS PRIOR.

DE NONNULLIS CHRYSIPPI PLACITIS UNIVERSE.

CAPUT PRIMUM.

DE LIBERTATE VOLUNTATIS.

Antequam agamus de placitis ad virtutem et hujus cum felicitate conjunctionem attinentibus, locum, qui est de libertate voluntatis, nobis tractandum proposuimus. Eam vim scilicet quaestio de libertate voluntatis habere videtur, ut, nisi antea quid de ea statuendum sit decreveris, omni fundamento in doctrina morali sis destitutus. Ubi omnis libertas qualiscunque voluntati humanae denegata est, nec de virtute nec de vitio sermo esse poterit; aut, si vocabula retinere quis velit, significationes a vulgaribus diversae iis tribuentur. Non igitur mirum, hunc locum ab omnibus fere philosophis, qui de morali doctrina egerunt, in controversiam esse vocatam.

Ne autem in vagis ratiocinationibus circumferamur, accurate definiendum est, quid libertate voluntatis humanae sit intelligendum. Et egent quidem haec verba arctiore descriptione. Libertatis enim notio cum nonnisi negationem alicujus necessitatis contineat (1), necessario addendum est, quamnam necessitatis negationem hoc loco intelligamus.

Triplici sensu homini libertas voluntatis tribui potest (2). Primo quidem libertas omni vacans necessitate externâ (*Fatalismo*), sive vi qualicunque indeclinabili extra personam hominis posita. Dein : libertas ab omni prorsus necessitate immunis, tam externâ quam internâ (a *Fatalismo* simul et *Determinismo*), quae homini facultatem asserit liberae electionis, (ita ut id, quod egit, etiam aliter agere potuisset,) et casum fortuitum, τὴν τύχην, admittere videtur. Denique in censum venit libertas moralis stricte sic dicta, ubi libera ab omni necessitate voluntas cum legis moralis praeceptis prorsus convenit, atque adeo omnis pugna inter moralem necessitatem et libertatem tollitur. De duobus prioribus nunc videamus (3).

a. Primum quidem perspicuum est, hoc loco non quaeri de libertate a necessitate externa, quum eatenus quidem ab

(1) „Libertas voluntatis est facultas mentis agendi, a quâ omnis necessitas remota sit." Wyttenbach, Instit. Metaph. p. 113.

(2) Conf. Zellerus in Diario : *Theol. Jahrbücher*, Jahrgang 1846. S. 388.

(3) Libertatem, quam h. l. diximus moralem, non in homine vulgari, sed nonnisi in sapiente secundum Stoicos inveniri deinde videbimus.

omnibus antiquioribus philosophis, si recte video, homini libertas asseratur. Nec opus est, ut quis hac de re dubitet. Sublata enim illa libertate, de voluntate hominis sermo esse non potest; imo voluntas ipsa prorsus tollitur, et non magis homini propria voluntas est tribuenda quam alii cuivis negotio.

Chrysippus, narrante A. Gellio (1), fatum esse dixit, „indeclinabilem et sempiternam quandam seriem rerum et catenam volventem semet ipsam, sese et implicantem per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est;" quocum congruit ejus apud Plutarchum definitio (2): *αἰτία ἀνίκητος καὶ ἀκώλυτος καὶ ἄτρεπτος.* Huic definitioni adversarii ita obloquuntur : „Si Chrysippus, inquiunt, fato putat omnia moveri et regi, nec declinari transscendique posse agmina fati et volumina, peccata quoque hominum et delicta non inducenda sunt ipsis voluntatibusque eorum, sed necessitati cuidam et instantiae, quae oritur ex fato; omnium quae sit rerum domina et arbitra, per quam necesse sit fieri quidquid futurum est; et propterea nocentium poenas legibus inique constitutas, si homines ad maleficia non sponte veniunt, sed fato trahuntur."

Quibus haec fere reponit Chrysippus : „Quamquam ita sit,

(1) Noctes Atticae Lib. VI. c. 2. — Chrysippi verba sic se habent : *Εἱμαρμένη ἐστι φυσική τὶς σύνταξις τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων , καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς.* — Lipsius (Physiol. Stoic. I. diss. 12) pro *μετὰ πολὺ* legit *ἀμεταβόλου.*

(2) De Stoicor. Repugn. p. 1056 C.

ut ratione quadam principali necessario coacta atque connexa sint fato omnia, ingenia tamen ipsa mentium nostrarum perinde sunt fato obnoxia, ut proprietas eorum est ipsa et qualitas. Nam si sunt per naturam primitus salubriter utiliterque ficta, omnem illam vim, quae de fato extrinsecus ingruit, inoffensius tractabiliusque transmittunt. Sin vero sunt aspera et inscita et rudia, nullisque artium bonarum adminiculis fulta; etiamsi parvo sive nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur, sua tamen saevitate et voluntario impetu in assidua delicta et in errores ruunt. Idque ipsum ut ea ratione fiat, naturalis illa et necessaria rerum consequentia efficit, quae fatum vocatur. Est enim genere ipso quasi fatale et consequens, ut mala ingenia peccatis et erroribus non vacent."

Quibus cum jam diserte enuntiaverit, penes nos esse, ut *voluntario impetu* fati efficaciae, quatenus ea *extrinsecus ingruit* adversemur, mox accuratius eam facultatem homini concedit (1). Exemplo enim desumto a lapide cylindro, qui, etsi a te per spatia terrae prona atque derupta jaciatur, non volvitur, nisi ex eo, quod eum habet modum et formam volubilitatis; haec addit : „sic ordo et ratio et necessitas fati genera ipsa et principia causarum movet, impetus vero consiliorum mentiumque nostrarum actionesque ipsas voluntas cujusque propria et animorum ingenia moderantur." Contemnendae igitur ex Chrysippi doctrina eorum sententiae, qui in culpa et maleficio victi perfugiunt

(1) Conf. A. Gellius l.l. et Cicero de Fato, cap. 19.

ad fati necessitatem, tamquam in aliquod fani asylum; et quae pessima fecerunt non suae temeritati, sed fato attribuenda esse dicunt. Ex hisce luculenter patere videtur, Chrysippum statuisse libertatem voluntatis a necessitate *externa* remotam.

b. Utrum autem hominis voluntati libertatem a necessitate *interna* immunem concesserit necne, jam inquirendum.

Et primum quidem ex iis, quae nobis servavit Gellius l.l. Chrysippi placitis sequi videtur, eum indeclinabilem illam seriem rerum et catenam, quam fatum esse dixit, etiam ad hominis voluntatem retulisse; quid? quod totidem verbis enuntiavit : „ingenia ipsa mentium nostrarum perinde fato esse obnoxia secundum eorum proprietatem et qualitatem, et delicta hominum, etsi voluntario fiant impetu, tamen effici a consequentia rerum illa naturali et necessaria, quae fatum vocatur."

Porro internam voluntatis necessitatem Chrysippum docuisse patet ex ratione, acuta sane, qua eos refellit, qui omnem e vita actionem tollebant, conclusione ista usi, quae apud veteres ἀργοῦ λόγου nomine designatur. Contendebant scilicet nonnulli : „Si ex aeternitate verum hoc fuit, Ex isto morbo convalesces; sive adhibueris medicum sive non adhibueris, convalesces. Item : si ex aeternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo convalesces; sive adhibueris medicum sive non adhibueris, non convalesces." Hujus mali medelam afferre non poterat, nisi aut vim fati in rebus humanis prorsus delendo, aut concedendo etiam hominum facta a fato prorsus pendere. Poterius eum fecisse

Cicero nobis est auctor (1). „Quaedam enim sunt, Chrysippus inquit, in rebus simplicia, quaedam copulata. Simplex est : morietur eo die Socrates. Huic, sive quid fecerit sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, Nascetur Oedipus Laio; non poterit dici, sive fuerit Laius cum muliere, sive non fuerit : copulata enim res est et confatalis : sic enim appellat, quia ita fatum sit, et concubiturum cum uxore Laium, et ex ea Oedipum procreaturum; ut, si esset dictum : Luctabitur Olympiis Milo, et referret aliquis, Ergo, sive habuerit adversarium sive non habuerit, luctabitur; erraret. Est enim copulatum Luctabitur, quia sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. Sive tu adhibueris medicum sive non adhibueris, convalesces, captiosum. Tam enim est fatale medicum adhibere quam convalescere." Chrysippus ea *confatalia* (συνειμαρμένα) appellat.

Concinit haec ejus de voluntatis humanae necessitate sententia cum iis, quae pluribus locis statuit de totius mundi fabricatione. Exstat ejus fati definitio : Εἱμαρμένη ἐστιν ὁ τοῦ κόσμου λόγος, ἢ λόγος τῶν ἐν τῷ κόσμῳ προνοίᾳ διοικουμένων· ἢ λόγος, καθ' ὃν τὰ μὲν γεγονότα γέγονε, τὰ δὲ γιγνόμενα γίγνεται, τὰ δὲ γενησόμενα γενήσεται (2). Contendit alio loco μηδὲν ἴσχεσθαι μηδὲ κινεῖσθαι μηδὲ τοὺ-

(1) De Fato, cap. 13.

(2) Stob. Eclogg. Lib. I. p. 180. Ed. Heeren. Plutarchus, de Placit. Phil. p. 885 C.

λάχιστον ἄλλως ἢ κατὰ τὸν τοῦ Διός λόγον· ὃν τῇ Εἱμαρμένῃ τὸν αὐτὸν εἶναι (1). „Nihil, inquit, singularum rerum, ne minimum quidem fieri potest aliter, quam secundum communem naturam et ejus rationem;" (2) βιάζεται ἡ φύσις τῷ ἀναιτίῳ· τὸ ἀναίτιον ὅλως ἀνύπαρκτόν ἐστι καὶ τὸ αὐτόματον (3). Promiscue eum usurpasse Fatum, Providentiam, summam Rationem, Jovem, communem Naturam, plura nos docent antiquorum testimonia (4).

Cernimus Chrysippi doctrinam, quatenus ex locis laudatis confici potest, omnino pantheismum redolere; pantheismo autem accepto, si tibi constare velis, omnem libertatem a necessitate qualicunque denegaturus es. At vero doctrina illa non potuit non discrepare ab opinionibus, quae in vulgus ferebantur. Vulgus polytheismo deditus libertatem voluntatis a necessitate interna facilius poterat accipere, et revera accepit. Plures illius libertatis causam egerunt, et Chrysippum oppugnarunt (5). Noster vero, aut non satis perspiciens, quid ex suis placitis sequeretur, aut ad incitas redactus ab adversariis et populo se accommodare studens, pluribus locis et polytheismo aliquatenus calculum adjecit, et libertatem a necessitate externa tueri studuit.

Videamus, quomodo libertatem illam cum fato conciliare conatus sit.

(1) Plut. de Stoic. Repugn. p. 1056 C.
(2) Plut. l.l. p. 1050 A.
(3) Plut. l.l. p. 1045 C.
(4) Plut. l.l. p. 1050 A. Stob. Ecl. I. c. 6. p. 180. Ed. Heeren. Cicero de Nat. Deor. I. c. 15. Conf. Diog. Laërt. Lib. VII. § 135.
(5) Cicero de Fato, c. 17. Gellius, N. A. VI. c. 2.

Cum statuisset μηδὲν ἀναιτίως, et contra ipsa illa causarum serie libertas everteretur, subtiliter causarum genera distinxit, ut et necessitatem effugeret et retineret fatum. "Causarum enim, inquit, aliae sunt perfectae et principales, aliae adjuvantes et proximae. Quam ob rem cum dicimus, omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, causis perfectis et principalibus, sed causis adjuvantibus antecedentibus et proximis" (1). Sunt igitur secundum Chrysippum causarum duo genera : aliae perfectae et principales (αὐτοτελὴς καὶ κυρία αἰτία), aliae adjuvantes et proximae (συναίτια, αἰτία προσεχής), omnes vero sunt antecedentes (προκαταρκτικὴ αἰτία). Distinctio ista paulo obscurior hunc sensum habere videtur, ut causae perfectae vi sua id, quod iis subjectum est, certo efficiant, ut ignis accendit; causae vero adjuvantes, etsi ad effectum aliquem omnino requirantur, naturam tamen efficiendi non habeant, e. g. si aes statuae dicas causam adjuvantem, quod sine eo non possit effici. (2)

Chrysippus, hoc posito causarum discrimine, voluntatis libertatem servare se opinatus est. Quum enim concedat, omnia causis fieri antepositis, et inde nonnulli ducant argumentum, quo probent, nihil ne appetitum quidem esse in nostra potestate, iis a Chrysippo opponitur, hoc non sequi nisi omnia perfectis et principalibus causis fieri dicamus. Cau-

(1) Cicero de Fato, c. 18. — Postrema verba ita sunt intelligenda, ac si scriptum esset : „dum causae antecedant adjuvantes et proximae;" monente Mosero ad h. l.

(2) Conf. Cic. Topica. c. 15.

sae vero, cum, eo monente, aliae tantum sint adjuvantes sive proximae, ita libertatem voluntatis defendit, ut nonnisi iis assensionem nostram commoveri statuat, et visum imprimere quidem objectum et quasi signare in animo suam speciem, sed assensionem in nostra esse potestate (1). Quibus quid velit non intelligo, nisi aliquid in homine statuas, quod ipsum a causarum serie remotum a causis istis adjuvantibus impellatur, cuique causae istae proximae ceteris propiores dicantur. Hoc vero accepto, inesse conceditur in homine facultas quaedam ab omni necessitate immunis, et fatum Chrysippi (indeclinabilis illa rerum series et catena) tollitur.

Fateamur igitur, inducta causarum distinctione Chrysippeam rationem sibi non congruere et recte de illo judicasse Ciceronem : „At mihi quidem videtur, cum duae sententiae fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret; altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii; Chrysippus, tanquam arbiter honorarius, medium ferire voluisse : sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animorum liberatos volunt. Dum autem verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus." (2)

(1) Cicero de Fato, c. 18, 19.
(2) De Fato, c. 17.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIRTUTIS NATURA, ET DE RATIONE, QUA IN VITA HOMINIS SE APERIAT.

In hac disquisitione nobis non proposuimus moralis doctrinae, quale a Chrysippo confectum sit, systema exponere. Supersunt enim de ejus doctrina nonnisi fragmenta quaedam hic illic dispersa, quae haud raro, ut deinde videbimus, secum pugnant. Dein ex iis, quae supersunt, conjicere licet, Chrysippum non totam doctrinam moralem tractasse, sed locos potius selectos (1), ipsius tempori et sectae magis accommodatos. Itaque id praesertim spectantes, ut lucem afferamus iis locis e Plutarchi libello, qui in secunda nostrae dissertationis parte de virtutis natura et de ratione,

(1) Quod inter alios observavit Tennemann, l.l. IV. p. 316. Ubi de Chrysippo agens, „Es sind," inquit, „nur einzelne Materien aus dem Ganzen der Sittenlehre, welche von einem gewissen Gesichtspunkt aus beleuchtet werden, Streifereijen durch das praktische Gebiet der Vernunft, mit Verweilung bei einigen am meisten anziehenden Gegenständen, Annäherungen zu der systematischen Ausmessung des ganzen Gebiets innerhalb ihrer Grenzen." — Conf. Diog. Laert. VII. § 84.

qua in vita hominis se aperiat, proferentur, nunc universe Chrysippi de hoc argumento placita, quatenus ad nos pervenere, expositurі sumus.

Doctrinae moralis non aliud esse principium nisi a loco de Deo, cum ceteris Stoicis Chrysippum docuisse patet ex eo loco, quem Plutarchus affert, p. 1035 C. *Οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως οὐδ' οἰκειότερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν λόγον, οὐδ' ἐπὶ τὰς ἀρετὰς, οὐδ' ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἀλλ' ἢ ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως* (1). Cum hoc enunciato concinit ejus doctrina moralis, quam principio illo (*τῇ κοίνῃ φύσει*) niti paucis demonstrabimus.

Summum hominis moralis propositum est *τῇ φύσει ὁμολογουμένως ζῆν* (2). Hac in re omnes antiquiores Stoici conveniunt, Chrysippus vero aliquid addidit. Statuerunt enim Zeno, Cleanthes, aliique : homini esse vivendum secundum *κοινὴν φύσιν*; Chrysippus vero contendit ei vivendum esse secundum *φύσιν κοινὴν καὶ ἰδίως τὴν ἀνθρωπίνην*. In quibus magis verbi quam rei discrimen esse videtur, cum Zeno haud minus quam Chrysippus *τὸν λόγον* habeat recte vivendi criterium; unde patet eum *τῇ κοινῇ φύσει* etiam *τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν* intellexisse.

Quaeritur, quid sit *κατὰ φύσιν ζῆν*, vel potius, qualis sit *φύσις* ea, ad quam hominis vita accommodari debeat. Dolendum est, Stoicos philosophiae suae quasi terminum po-

(1) Conf. Diog. L. L. VII. § 87. Cic. de Legibus II. c. 4 in fine.
(2) Diog. L. Lib. VII. § 87, 89. Stobaeus II. p. 132.

suisse hoc placitum, quo nonnisi formale q. d. doctrinae principium statuerunt (1). Saepius φύσιν illam dicunt ἀρίστην, eamque vocant τὸν ὀρθὸν λόγον, τὸν λόγον τοῦ Διός, alia. Quid autem φύσει ἀρίστῃ intelligendum sit, id voluisse videntur ut quisque, suo usus λόγῳ, definiret. Fluctuat, hoc accepto, tota doctrina moralis.

Subinde quidem diligentius principium illud illustrare conati sunt. Chrysippus primum appetitum, qui a natura proficiscitur, dicit conservationem sui : „παντὶ ζῴῳ οἰκεῖον dicit, ut se conservet hujusque rei sibi conscius sit. Neque enim consentaneum erat naturam animal a se repellere; neque, cum semel animal genuisset, repellere a se ipso, neque sibi conciliare; relinquitur igitur, ut dicamus eam, quum animal gigneret, simul id sibi ipsum conciliasse" (2). Τὸ κατὰ φύσιν ζῆν, auctore Chrysippo, praescribit omnibus animantibus officium se vitam corpusque tuendi; quae no-

(1) Luculenter Hegel, Vorlesungen über die Gesch. der Philosophie. II. S. 454. „Das Princip der Stoiker ist im Allgemeinen das : „Man müsse *der Natur gemäsz* leben, d. h. *der Tugend* gemäsz leben; den zu ihr führt (ἄγει) uns die (vernunftige) Natur." — Das ist das höchste Gut, der Endzweck von Allem; der Natur gemäsz leben heiszt, vernunftig leben. Aber auch hier sehen wir denn sogleich, dasz wir damit nur formell im Kreise herumgeführt werden. Der Natur gemäsz leben, darin besteht die Tugend, und was der Natur gemäsz ist, ist die Tugend. Das Denken soll bestimmen was der Natur gemäsz ist; der Natur gemäsz ist aber nur das, was durch den λόγος bestimmt ist. Dies ist ganz formell. Denn was ist der Natur gemäsz? Der λόγος Was ist der λόγος? Was der Natur gemasz ist." u. s. w.

(2) Diog. L. Lib. VII. § 85. Conf. Cic. de Fin. III. 5, de Offic. I. 4. — Madvigius ad Cic. de Fin. l.l. correxit locum Diog. Laërt. pro οὔτε ποιῆσαι ἂν αὐτὸ legens : οὔτε, ποιήσασαν αὐτὸ Quod vitium in edit. Didot remansit.

citura videantur, evitandi, et omnia, quae sint ad vivendum necessaria, adhibendi.

Hanc proclivitatem se suumque statum conservandi homini esse communem cum omnibus animalium et plantarum generibus, perspicuum est. Homini vero, quum a natura prae iis rationem acceperit, novum officium imponitur. Nobis enim (τοῖς λογικοῖς) data est ratio *κατὰ τελειοτέραν προστασίαν, τὸ κατὰ λόγον ζῆν ὀρθῶς γίνεσθαι τοῖς κατὰ φύσιν. Τεχνίτης γὰρ οὗτος ἐπιγίνεται τῆς ὁρμῆς.* Haec Chrysippus, testante Diogene Laërtio (1). Audiamus Plutarchum : *καὶ μὴν ἡ ὁρμὴ, κατά γ' αὐτὸν, τοῦ ἀνθρώπου λόγος ἐστὶ προστακτικὸς αὐτῷ τοῦ ποιεῖν.* Rationi igitur humanae hoc est propositum, ut ipsa cum communi natura conveniat et ita hominem cogat secundum illam vivere. Ita fere cogitasse videtur Chrysippus, Jovem (*τὴν κοινὴν φύσιν*) dicens legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae ac magistra officiorum sit (2). Tanquam ex illius mente Cicero : (de Legibus II. c. 4) „Lex," inquit, „vera atque princeps, apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis."

Virtus a Chrysippo, quemadmodum a ceteris Stoicis, ad *τὴν κοινὴν φύσιν* refertur : *ἴσον ἐστὶ τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν τῷ κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν* (3). Quibus

(1) Lib. VII. § 86. Plut. de Stoic. Repugn. p. 1037 F.

(2) Cicero de Nat. Deor. I. 15. Conf. Diog. L. Lib. VII. § 128.

(3) Diog. L. Lib. VII. § 87. Conf. Stob. Ecl. Eth. II. p. 108 et p. 134. — Cicero, de legibus I. c. 8 : „Est," inquit, „virtus nihil

hoc eum voluisse apparet : vitam degere secundum virtutem idem esse ac „vivere cum intelligentia earum rerum quae naturâ eveniant, eligentes ea quae essent secundum naturam, rejicientes contraria" (1). „Quod a Stoicis dicitur," Cicero inquit, „convenienter naturae vivere, hanc habet, ut opinor, sententiam : cum virtute congruere semper; cetera autem, quae secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent."

Actiones hominis, secundum Stoicorum doctrinam *ὁμολογουμένως τῇ φύσει* viventis, dicuntur *καθήκοντα*, quod verbum Cicero latine reddidit vocabulo : *officia* (2). *Τὰ καθήκοντα* aut ab omni parte e communis naturae praeceptis derivari possunt, aut non possunt. Illa dicuntur *τὰ καθήκοντα τέλεια*, sive, secundum Zenonis rationem loquendi, *κατορθώματα* (3). *Τὰ κατορθώματα* sunt *τὰ κατ' ἀρετὴν ἐνεργήματα, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν*. *Τὰ καθήκοντα*, quae non ad *τὰ κατορθώματα* referri possunt, dicuntur *μέσα* (*media*) e. g. *τὸ γαμεῖν, τὸ πρεσβεύειν, τὸ διαλέγεσθαι*. Officium medium Cicero aliquid esse dicit quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. Eodem auctore Stoici sic definiunt, ut rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant; medium autem officium

aliud, quam in se perfecta et ad summum perducta natura;" et Tusc. Quaest. IV. 15 : „ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest."

(1) Conf. Cic. de Finib. II. c. 11. de Off. III. c. 3-

(2) Ep. ad Attic. Lib. XVI. Ep. 11.

(3) Stob. l.l. II. p. 158. Cic. de Finib. III. c. 17. de Offic. I. c. 3.

id esse dicunt, quod, cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. Quocum concinit τοῦ καθήκοντος apud Stobaeum ll. definitio : ὁρίζεται δὲ τὸ καθῆκον, τὸ ἀκόλουθον ἐν ζωῇ, ὃ πραχθὲν εὔλογον ἀπολογίαν ἔχει (1).

. Discrimen inter τὰ καθήκοντα et τὰ κατορθώματα accuratius illustrandum est. Utraque cum in officiis ponantur atque ad bona facta latiore sensu referantur, illud tamen interest, quod τὰ καθήκοντα non necesse est ut prorsus e rationis praeceptis derivari possint; sufficit, si hisce non repugnent. Τὰ κατορθώματα vero, quae ad illa referri possunt tamquam species ad genus, illud sibi proprium habent (2), quod non tantum cum natura communi conveniunt, sed eâ tamquam solo fundamento nituntur. Principium igitur, ex quo agimus, efficit τὸ κατόρθωμα, omnes continens numeros virtutis. *Depositum reddere* e. g. simpliciter est καθῆκον; *juste depositum reddere* est κατόρθω–

(1) Wyttenbachius ad Plut. de Rect. And. Rat. p. 44 A. (T. I. p. 377): „καθῆκον proprie est id, quod καθήκει τινὶ, *alicui convenit faciendum*, hinc et *officium*, quo sensu a philosophis maxime Stoicis celebratum, sed et extra scholam in vitae consuetudine usurpatum est." — Et Garve, Anmerkungen zu Cicero's Büchern von den Pflichten, T. I. p. 23 : „Sie nennen jene Pflicht καθῆκον, *das Schickliche*, weil bei derselben es hinlänglich ist, wenn nur die Handlung den Verhältnissen gemäsz ist, unter welchen sie geschieht, die Quelle mag noch so unlauter seyn." — Conf. Diog. L. Lib. VII. § 107, 108.

(2) Stobaeus, l.l. p. 184. Κατόρθωμα δ' εἶναι λέγουσι καθῆκον πάντας ἐπέχον τοὺς ἀριθμούς. Interdum vero τὸ κατόρθωμα τῷ καθήκοντι opponitur, si hoc nomine utuntur pro officiis mediis (τοῖς μέσοις). Conf. Beierus ad Cic. de Off. I. c. 3. p. 318.

μα (1). Isto addito *juste* fit *recte factum.* Per se autem hoc ipsum reddere in *officio* (καθήκοντι) ponitur.

Distinctio illa inter τὸ καθῆκον et τὸ κατόρθωμα non unius Chrysippi, sed totius sectae habenda est, et a Zenone Stoicorum principe originem duxit. Etiamsi nonnisi hoc unum illorum placitum ad posteros pervenisset, vel sic tamen eos optime de philosophia morali meruisse statuendum esset (2). Magnum enim ad doctrinam moralem progressum facit ille, qui non, ut homo rudis, externum tantum habitum externaque facta animadvertit, sed altius investigans ad principia eorum quae aguntur penetrare studet. Haec quaestio primaria habenda; neglectis enim principiis, de pretio actionis alicujus morali nihil decerni potest.

Cum eo, quod omnes virtutes ad unum referunt principium (3), quo deficiente virtuti locus non sit, duo eorum conjuncta sunt placita : Alterum : *eum, qui unam habeat virtutem, omnes habere;* alterum : *omnia recte facta et omnia peccata esse paria.* De utroque saepius in controversiam vocato videamus.

I. *Qui unam habeat virtutem, eum omnes habere.*

Virtutem unam eamque individuam esse plures ante Ze-

(1) Cic. de Finibus III. c. 7 et 18. Conf. de hoc Stoicorum placito Garve. l.l. I. p. 17 sq.

(2) Certum est plures ante Zenonem discrimen inter facta moralia et legalia, q. d. animadvertisse. Primus autem, ni fallimur, fuit Zeno, qui in doctrina morali diversis adhibitis nominibus utraque diserte discerneret. Conf. Tennemann, l.l. IV. p. 110.

(3) „Omnia officia a principio naturae proficiscuntur." Cic. de Finibus VII. c. 7. § 23.

nonem statuerunt philosophi (1). Neque tamen hanc ob causam non referri debet hoc placitum ad doctrinam Stoicam, quum et inter Stoicorum exstet effata, et cum tota illorum philosophia arctissime cohaereat. Haec enim, ut supra vidimus, tota referri potest ad illud principium, *τὴν κοινὴν φύσιν* s. *τὸν ὀρθὸν λόγον*. Quid Zeno? Hic, auctore Cicerone, „cum superiores non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura aut more perfectas, omnes *in ratione* ponebat; cumque illi ea genera virtutum, quae supra dixi, sejungi posse arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri posse disserebat, nec virtutis usum modo, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse praeclarum, nec tamen virtutem cuiquam adesse, quin eâ semper uteretur" (2). Plutarchus ll. narrat, Zenonem diversas virtutes, licet inter se differant, tamen *ἀχωρίστους* dixisse, easque ita definivisse, ut una sit virtus, sed quae *πρὸς τὰ πράγματα σχέσεσι κατὰ τὰς ἐνεργείας διαφέρει.*

Chrysippus eandem ac Zeno hac in re sequitur sententiam. Plutarchus eum ll. cum Zenone convenire dicit, et alibi ejus verba affert, quae luculenter huic congruunt paradoxo (3). *Τὰς ἀρετάς φησιν (ὁ Χρύσιππος) ἀντακολουθεῖν*

(1) Conf. inter alios Cic. de Orat. I. cap. 18 et Plut. de Virtute morali p. 440 F. — Hoc loco memoratur Aristo Chius, qui, cum virtutem, quod ad *οὐσίαν*, *unam* dixisset, varias, quae dicuntur, virtutes ita se habere monet, ac si quis visum nostrum, si res albas inspicimus, appellare velit *λευκοθέαν*, si res nigras *μελανθέαν* caet.

(2) Cic. Acad. Quaest. I. c. 10. Conf. Davisius ad hunc locum, [apud eum cap. 11]. Plutarchus (de Stoic. Repugn. p. 1034 C.) minus recte putat Zenonem et Chrysippum hac in re sibi repugnasse.

(3) De Stoic. Repugn. p. 1046 F

ἀλλήλαις, οὐ μόνον τῷ τὴν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τῷ τὸν κατὰ μίαν ὁτιοῦν ἐνεργοῦντα κατὰ πάσας ἐνεργεῖν· οὔτ' ἄνδρα φησὶ τέλειον εἶναι τὸν μὴ πάσας ἔχοντα τὰς ἀρετάς, οὔτε πρᾶξιν τελείαν, ἥτις οὐ κατὰ πάσας πράττεται τὰς ἀρετάς. Diogenes Laërtius (1) : τὰς δὲ ἀρετὰς λέγουσιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν· εἶναι γὰρ αὐτῶν τὰ θεωρήματα κοινὰ, καθάπερ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἀρετῶν φησίν. Hinc verisimile fit, e Chrysippo etiam ea esse ducta, quae de ejusdem sectae philosophis refert Stobaeus (2) : πάσας δὲ τὰς ἀρετὰς, ὅσαι ἐπιστήμαι εἰσὶ καὶ τέχναι, κοινά τε θεωρήματα ἔχειν, καὶ τέλος, ὡς εἴρηται, τὸ αὐτὸ, διὸ καὶ ἀχωρίστους εἶναι· τὸν γὰρ μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν, καὶ τὸν κατὰ μίαν πράττοντα κατὰ πάσας πράττειν.

Si quaeritur, quae vis huic paradoxo tribuenda sit in hominum societate, inde appareat necesse est, quantopere virtus vitiis sit praeferenda, quum haec non solum virtuti, sed etiam inter se singula singulis sibi sint opposita, (ut avaritia et prodigentia, temeritas et ignavia, rell.); virtus vero, una illa atque individua, semper sibi consentiat, atque adeo sola apta sit et digna, ad quam nanciscendam homo omnes animi corporisque vires intendat. Si verum est quod Stoici contendunt, virtutes τὰς αὐτὰς εἶναι τῷ ἡγεμονικῷ μέρει τῆς

(1) Lib. VII. § 125.
(2) L.l. p. 110 et 114.

ψυχῆς καθ'ὑπόστασιν (1), quid excogitari potest, quod nos promptiores reddat, ut virtutem immaculatam servemus, atque ad eam retinendam, si opus erit, divitias aliaque omnia minoris habeamus pretii. „Si enim (ut Ciceronis (2) verbis utar) quid de Corinthiis tuis amiseris, scis te posse reliquam habere supellectilem salvam, virtutem autem si unam confessus eris te non habere, nullam te esse habiturum."

II. *Omnia recte facta et omnia peccata esse paria.*

Zenonis esse placitum *omnia peccata esse paria*, diserte nos docent antiquorum testimonia (3). Cum hoc placito concinit etiam *recte facta paria esse*, quod a Cicerone, Stobaeo aliisque, universe Stoicis tribuitur (4).

Chrysippum hac in re haud diversam a Stoicis sententiam iniisse nobis auctor est Plutarchus, de Chrysippo affirmans (5) : δῆλός ἐστι προστιθέμενος τῷ μήτε κακίαν κακίας, ἢ ἁμαρτίαν ἁμαρτίας ὑπερέχουσαν εἶναι, μήτ' ἀρετὴν ἀρετῆς, ἢ κατόρθωσιν κατορθώσεως. et Diogenes Laërtius : Ἀρέσκει τε αὐτοῖς ἴσα ἡγεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα, καθά φησι Χρύσιππος κ. τ. λ.

(1) Stobaeus, l.l. p. 114.
(2) Quaest. Tusc. II. c. 14.
(3) Sextus adv. Mathem. VII. § 422. — Cic. pro Murena, c. 29. de Finibus, c. 27 et 28.
(4) Cic. Paradoxa, in proöemio et III. — Stob. l.l. p. 218.
(5) De Stoic. Repugn. p. 1038 D. — Diog. L. Lib. VII. § 120.

Non mirum hanc sententiam, quippe quae a vulgari opinione prorsus discedere videretur, ad παράδοξα Stoicorum esse relatam, plurimosque philosophos vel joco vel serio id egisse, ut non minus hoc quam cetera absurda esse ostenderent. Quid Plutarchus ei opposuerit deinde narrabimus; nunc argumenta afferemus, quae apud Ciceronem contra hoc placitum inveniuntur, quo altius investigemus, quo sensu ex Stoicorum mente id intelligi oporteat.

Cicero pro L. Murena causam agens (cap. 29, 30) philosophiam Stoicorum pro more suo jocando reprehendit. „Fuit," inquit, „quidam summo ingenio vir, Zeno, cujus inventorum aemuli Stoici nominantur. Hujus sententiae sunt et praecepta ejusmodi : .... omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum qui patrem suffocaverit. ...... Fatetur aliquis se peccasse et ejus delicti veniam petit! Nefarium est facinus ignoscere. At leve delictum est! Omnia peccata sunt paria."

Graviora sunt, quae apud eundem inveniuntur in libris de Finibus Bon. et Mal. ll., ubi Cicero cum Catone de placito nostro hoc modo disputat : „Omnia peccata paria dicitis (1). Quonam modo? Quia nec honesto quidquam honestius, nec turpi turpius. Perge porro, nam de isto magna dissensio est. Illa argumenta propria videamus, cur omnia peccata sint

(1) „Sententiam ponit tamquam e Stoici persona; ex sua eum admiratione interrogat; iterum ex illa rationem reddit."
Nota Madvigii ad cap. 27.

paria. Ut, inquit, in fidibus pluribus, si nulla earum ita contenta nervis sit, ut concentum servare possit, omnes aeque incontentae sint, sic peccata, quia discrepant, aeque discrepant; paria sunt igitur. Hic ambiguo ludimur. Aeque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentae sint; illud non continuo, ut aeque incontentae. Collatio igitur ista te nihil juvat. Nec enim, omnes avaritias si aeque avaritias esse dixerimus, sequetur, ut etiam aequas esse dicamus. Ecce aliud simile dissimile. Ut enim, inquit, gubernator aeque peccat, si palearum navem evertit, et si auri, item aeque peccat, qui parentem, et qui servum injuria verberat. Hoc non videre, cujus generis onus navis vehat, id ad gubernatoris artem nihil pertinere! Itaque aurum paleamne portet, ad bene aut ad male gubernandum nihil interesse. At quid inter parentem et servolum intersit, intelligi potest et debet. Ergo in gubernando nihil in officio plurimum interest, quo in genere peccatur. Et, si in ipsa gubernatione negligentiâ est navis eversa, majus est peccatum in auro, quam in palea. Omnibus enim artibus volumus attributam esse eam, quae communis appellatur prudentia; quam omnes, cuicunque artificio praesunt, debent habere. Ita ne hoc modo paria quidem peccata sunt."

Quis est, qui hisce argumentis a Cicerone allatis, iisque quae initio capitis sequentis (28) ab eodem proferuntur, calculum non adjiciat? — At quid igitur de παραδόξῳ nostro statuendum? ... Ipsum Chrysippum audiamus!

Ἶσα τε πάντα λέγουσιν (οἱ Στωϊκοὶ) εἶναι τὰ ἁμαρτήμα-

τα, οὐκ ἔτι δ' ὅμοια (1). Quae apud Stobaeum hoc modo illustrantur. Sunt *aequalia*, quod ab uno vitii tamquam fonte profluunt, et proinde eadem trutina ponderanda sunt. Sunt *dissimilia*, quod diversae res externae iis occurrunt, atque ita, quod ad qualitatem attinet, differunt. Exemplum affertur mendacii. Omne mendacium aeque est mendacium; non omnes vero, qui mentiuntur, aeque mentiuntur. Qui enim noctem esse dicit, cum dies sit, alia ratione mentitur, atque ille, qui vivere hippocentaurum contendit. Illud fieri potest, hoc fieri non potest. Sic peccata, per se spectata, omnia sunt aequalia (2), qualitate vero differunt.

Plutarchus ipse Chrysippi locum affert, unde luculenter patet eum, licet recte facta et peccata aequalia dixerit, qualitate tamen ea a se invicem distinxisse. De his vero infra808 308 monituri sumus. (Part. II. cap. II.)

Prae ceteris dignus est, qui de hoc Stoicorum dogmate omnino consulatur, elegantissimus Graecae philosophiae interpres, Cicero, in opusculo quod inscribitur *Paradoxa* § 20—26. „Peccata," inquit, „non rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt. In quo peccatur, id potest aliud alio majus esse aut minus : ipsum quidem illud peccare, quoquo verteris, unum est. — — Peccare est tam-

(1) Stobaeus, l.l. — Lipsius, Manud. ad Stoic. Philos. III. 21. haec Chrysippi esse conjicit.

(2) Ὁ ἑκατὸν σταδίους ἀπέχων Κανώβου, καὶ ὁ ἕνα, ἐπίσης οὐκ εἰσὶν ἐν Κανώβῳ· οὕτω καὶ ὁ πλεῖον καὶ ὁ ἔλαττον ἁμαρτάνων ἐπίσης οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ κατορθοῦν. — Diog. L. Lib. VII. § 120.

quam transire lineas, quod quum feceris, culpa commissa est : quam longe progrediare, quum semel transieris, ad augendam culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere. Id si nec majus nec minus unquam fieri potest, quae ex eo peccata nascuntur, aequalia sint oportet."

Eodem modo demonstratur etiam recte facta paria esse. Dicet vero aliquis : „Nihilne igitur interest, patrem quis enecet an servum?" Audias, quaeso, pulcherrima illa, quae a summo viro Stoicorum doctrina imbuto reponuntur : „Illud interest, quod in servo necando, si id fit injuria, semel peccatur; in patris vita violanda multa peccantur. Violatur is, qui procreavit; is, qui aluit; is, qui erudivit; is, qui in sede ac domo atque in republica collocavit. Multitudine peccatorum praestat, eoque poena majore dignus est. Sed nos in vita, non quae cuique peccato poena sit, sed quantum cuique liceat, spectare debemus : quidquid non oportet, scelus esse; quidquid non licet, nefas putare debemus. Etiamne in minimis rebus? Etiam, si quidem rerum modum tenere possumus. Histrio si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur : in vita tu, quae omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debet, ut in syllaba te peccasse dices? Poëtam non audio in nugis : in vitae societate audiam civem, digitis peccata dimetientem sua? Quae si visa sunt breviora, leviora quî possint videri? Quum, quidquid peccatur, perturbatione peccctur rationis atque ordinis; perturbata autem se-

mel ratione et ordine, nihil possit addi, quo magis peccari videatur" (1).

Praecipua doctrinae moralis capita e Chrysippi sententia explicavimus; restat, ut huic capiti addamus enarrationem eorum, quae de *homine morali* docuit.

Stobaeus nobis auctor est, Stoicos homines in duo divisisse genera, in bonos et malos : Ἀρέσκει γὰρ τῷ τε Ζήνωνι καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ Στωϊκοῖς φιλοσόφοις, δύο γένη τῶν ἀνθρώπων εἶναι, τὸ μὲν τῶν σπουδαίων, τὸ δὲ τῶν φαύλων· κ. τ. λ. (2). Quod ut recte intelligamus monendum est, eos non hoc voluisse, ut in bonis censeantur omnes, in quibus ὁ ὄρθος λόγος praevaleat reliquis ὅρμαις, in malis vero ii, in quibus vis rationis haud raro a cupiditatibus perversis superetur. Quod si posuissent, melior sane eorum res se haberet. Quum vero hoc modo distinguant, ut boni (οἱ σπουδαῖοι, οἱ σόφοι) sint omnibus numeris perfecti, mali (οἱ φαῦλοι, οἱ ἠλίθιοι) omnibus numeris imperfecti, ideoque bonis ab omni parte oppositi; tertia hominum classis,

(1) Non possum, quin h. l. animadvertam, saepius Stoicorum placita ad divinam Christi doctrinam accedere. Conf. e. g. cum h. l. Matth. V : 8. et ea, quae nuper scripsit A. Neander, Ueber das Verhältniss der Hellenischen Ethik zur Christlichen, in Diario : Zeitschrift fur Chr. Wissenschaft und Chr. Leben. p. 70 sq. Vid. praesertim p. 88.

(2) L. l. p. 198.

eorum qui neque prorsus perfecti neque imperfecti dicendi sunt, apud eos desideratur (1).

Quis vero est qui non videat, eos hac in re graviter errare? Quis non videt, eam esse hominum varietatem, ut non ad duo genera referri possint, si quidem haec genera ita ponuntur, ut singuli ad alterutrum genus pertinentes sibi prorsus similes habendi sint. Porro perspicuum est eos, quos Stoici ad genera ista referunt, plane deesse. Non adsunt, neque umquam adfuere homines perfecti, si stricte notionem verbi teneas, neque magis tales, in quibus nulla virtus ne minima quidem cernatur. Imo ad tertium genus inter utrosque positum, eos dico homines, qui neque omnino rationis praeceptis obsequantur neque omnibus virtutibus destituti sint, omnes referri debent (2). In altera dissertationis parte videbimus, Chrysippum multa secundum hoc placitum statuisse, quae satis defendi non possint; videbimus item, Plutarchum hoc praesertim errore usum esse, ut adversarium acriter carperet.

(1) Conf. Stobaeus Ecl. Eth. II. p. 198, 206. — Plut. de Stoic. Repugn. p. 1037 D. de Comm. Not. p. 1062 F. et 1063. — Tanquam e Chrysippi mente Persius Sat. V. 120 :

— — — nullo thure litabis,
Haereat in stultis brevis ut semiuncia recti.
Haec miscere nefas.

(2) „Wenn sie die Tugend und Laster in abstracto nehmen — — — so haben sie völlig Recht, wenn sie Tugend und Laster als zwey Zustände betrachten, die keinen Mittelzustand und keine Grade zulassen; aber Unrecht, wenn sie diesen Satz, der nur in abstracto gilt, auf das wirkliche Leben anwenden, ohne auf die verschiedenen Grade der Tugend und des Lasters, die Abstufungen in der Reinheit, Stärke und Umfang der moralischen Gesinnung zu achten". Tenneman. l. l. p. 105. Conf. p. 133.

In *τοῦ φαύλου* et *τοῦ σόφου* imagine adumbranda Stoici summo studio id egerunt, ut illum omnibus vitiis maculatum proponerent, hunc vero omnibus ornatum virtutibus ad coelum usque extollerent. Quod ad *τὸν φαῦλον* attinet, conf. inprimis Ciceronis Paradoxon IV.; ceteros locos antiquorum collegerunt Lipsius, Manuduct. III : 20 et Baumhauer l.l. p. 178 sq. Digna est, quae legatur, ingeniosa hujus placiti saepissime exagitati defensio, quam exhibet Seneca (de Benef. IV. c. 26, 27.) subtiliter distinguens vitia, quae *sunt*, et quae *exstant* in vita : „Stultus omnia vitia habet, sed non in omnia naturâ pronus est; alius in avaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam inclinatur. Itaque errant illi qui interrogant Stoicos : Quid ergo? Achilles timidus est? Aristides injustus? alia. Non hoc dicimus, sic omnia vitia esse in omnibus, quomodo in quibusdam singula eminent; sed malum ac stultum nullo vitio vacare. Nec audacem quidem timoris absolvimus, nec prodigum quidem avaritia liberamus." Et porro : „Omnia in omnibus vitia sunt, sed non omnia in singulis exstant. Hunc natura ad avaritiam impellit : hic libidini, hic vino deditus est, aut si nondum deditus, ita formatus, ut in hoc illum mores sui ferant." Eodem modo, ni fallimur, probari posset, in omnibus omnes adesse virtutes.

Ὁ *σόφος* secundum eos omnibus virtutibus est instructus, est *φρόνιμος*, *δίκαιος*, *ἀνδρεῖος*, *σώφρων*, *βέβαιος*, *πάντας εὖ ποιεῖ*, semper sui similis est. Numquam eum ullius facti poenitet, neque umquam emendat quod fecit, nec mutat consilium. Ὁ *σόφος πρᾶος*, *ἡσύχιος*, *κόσμιος*,

ἀπαθής, ἀκίβδηλος. Sapientes soli inter se sunt amici; fides non est nisi in sapiente. Jovi similem, imo eo superiorem putes, Jupiter enim naturae, non suo beneficio sapiens est (1).

Notandum autem, non latuisse Stoicos ipsos, nusquam talem, qualem statuerint, sapientem exstare. Cicero testatur, eos ne ipsos quidem dicere solere, qui sapiens sit aut fuerit (2); et Plutarchus : *καὶ μὴν οὔθ' αὐτὸν ὁ Χρύσιππος ἀποφαίνει σπουδαῖον, οὔτε τινὰ τῶν αὐτοῦ γνωρίμων ἢ καθηγεμόνων.*

(1) Conf. locos laudatos apud Baumhauer. p. 170 sq. et Tenneman p. 136 sq.

(2) Quaest. Acad. IV. c. 47. Plut. de Stoic. Repugn. p. 1048. E.

CAPUT TERTIUM.

DE FELICITATE EJUSQUE CUM VIRTUTE CONJUNCTIONE.

Quum homini proprium sit non minus felicitatis quam virtutis studium, omniumque conatus eo tendant, ut quisque id adipiscatur, quod prae ceteris suam felicitatem aucturum esse putat; non mirum est, philosophos omnes, qui doctrinam moralem tractarunt, id etiam egisse, ut qua in re summum bonum positum sit investigarent. „Quid est enim in vita," ait Cicero (1), „tanto opere quaerendum, quam cum omnia in philosophia, tum id, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda? quid sequatur natura ex rebus expetendis? quid fugiat ut extremum malorum?"

Difficilem esse hanc quaestionem, docent diversa philosophorum de hoc argumento decreta. Accedit alia difficultas, quum ei, qui quid summum bonum sit statuerit,

(1) De Finibus I. c. 4.

impositum sit officium illius cum virtute conjunctionem declarandi. Hoc enim neglecto, duplex vitae finis adesset, et ut quisque aut felicitatem aut virtutem appeteret; ita alterutra magis minusve carere deberet.

Quid hac de re statuerint Stoici, praesertim Chrysippus, nobis in hoc capite inquirendum est.

Summo bono, ut hoc primum moneam, significant illud ad quod, quum ipsum ad nullam aliam rem referatur, ceterae res omnes referuntur: τὸ τέλος, οὗ ἕνεκα πάντα πράττεται μέν, αὐτὸ δὲ πράττεται οὐδενὸς ἕνεκα (1). Illud τέλος Stoicis est τὸ εὐδαιμονεῖν. Εὐδαιμονία secundum Zenonis definitionem, quam etiam Chrysippus est secutus, ἐστὶν εὔροια βίου. Εὔροια βίου dicitur a Stoicis talis vitae cursus, in quo omnia cum recta ratione sive cum natura communi conveniunt, et in quo nihil fit communi huic legi contrarium. (2)

Si autem quaerimus, quid sit vitam ita instituere, ut semper cum *natura communi* convenias, huic soli obedias, eamque tamquam criterium ponas omnium quae agenda aut vitanda sunt; praesto est responsum : *virtutem colas*, *ho-*

(1) Cicero, de Finibus I. c. 12. Stobaeus, Ecl. II. p. 138. Non pertinet ad nostrum consilium, ut hic agamus de discrimine, subtiliore illo, quod ponunt Stoici inter τὸ τέλος et τὸν σκοπόν. De eo conf. Baumhauer, l.l. p. 187 sq.

(2) Diog. Laërt. Lib. VII. § 88. Stoicorum doctrinam de felicitate aeque ac de virtute obscuriorem esse et incertam, cum non satis definiverint, quid τῇ κοινῇ φύσει sit intelligendum, perspicuum est. Conf. ea, quae supra diximus p. 21 sq.

nestam degas vitam (1)! Pulcherrime haec inter se in Stoicorum doctrina concinere, quis non videt? Ad unum principium et virtus et summum bonum referuntur: utrumque nihil est aliud nisi cum natura convenire; unde necessario sequitur, virtutem et felicitatem, licet diversa sint vocabula, unam tamen rem esse; nullam virtutem praeter felicitatem, nullam felicitatem praeter virtutem. Τὸ *μόνον ἀγαθόν, καλόν· τὸ μόνον καλόν, ἀγαθόν* (2). Quo efficitur, solum id malum esse quod inhonestum sit.

Idem vero Stoicorum placitum a vulgari opinione quam maxime discedere perspicuum est. Pauca sunt, de quibus major non tantum inter doctissimos, sed inter omnes sit dissensio:

„Mille hominum species et rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno." (3)

„Si vero," dixerit aliquis, „virtus solum bonum habetur, quid statuendum de honore, divitiis, ceteris? An haec indifferentia putas?" Respondebit Stoicus: *„Indifferentia!"*

Haec vero *ἀδιάφορα* recte sunt distinguenda ab iis, quae vulgo ita dicuntur. Distinguunt ipsi Stoici, quum duplici

(1) Conf. caput antecedens hujus disputationis.

(2) Vid. quae Chrysippi vocabula affert Plut. l.l. p. 1039 C. Conf. Diog. L. Lib. VII. § 101. Cicero de Fin. III. c. 8. Quaest. Acad. I. c. 10.

(3) Persius, Sat. V. 52.

modo dicant indifferentia : „Uno quidem modo ea quae neque ad felicitatem neque ad infelicitatem conferunt, ut sunt divitiae, sanitas, vires, gloria, similia. Nam et sine his potest quis felix esse, cum eorum usus vel rectus felicitatis, vel pravus infelicitatis auctor sit. Aliter autem dicuntur indifferentia, quae neque appetitum neque aversationem movent, cujusmodi est : pares habere capillos vel impares, extendere digitum vel contrahere. Priora autem, quae diximus, indifferentia non ita se habent." (1).

Sunt igitur indifferentia latiore sensu ea, quae nihil conferunt vel ad virtutem vel ad vitia, ea dico, quae per se hominem nec meliorem nec beatiorem reddunt. Quum vero ea inter se differant ratione habita *ὁρμῆς καὶ ἀφορμῆς*, diversa eorum statuunt genera.

Primum nonnulla *τῶν ἀδιαφόρων* dicuntur *προηγμένα* (praeposita, producta). „Ut enim," Zeno inquit, „nemo dicit in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem (id est enim *προηγμένον*), sed eos qui in aliquo honore sunt, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum, sic in vita non ea quae primario loco sunt, sed ea quae secundum locum obtinent, *προηγμένα*, id est, producta nominentur" (2). Definiuntur quoque *ἀδιάφορα ἀξίαν ἔχοντα*. *Προηγμένον*, Stobaeus inquit, *εἶναι λέγουσιν (οἱ Στωϊκοί) ὃ ἀδιάφορον ὂν ἐκλεγόμεθα κατὰ προηγούμενον λόγον*.

(1) Diog. L. Lib. VII. § 104. Cicero de Fin. IV. c. 25.
(2) Cicero de Fin. III. c. 16. Stobaeus, l.l. p. 156.

Contra alia *τῶν ἀδιαφόρων* dicuntur *ἀποπροηγμένα* (rejecta). Sunt ea *τὰ ἀδιάφορα ἀναξίαν ἔχοντα, τοῖς προηγμένοις* prorsus opposita. Ad ea referuntur mors, paupertas, morbi, ignominia, cetera.

Pretium, quod utrique generi aut adjudicatur aut negatur, criterium habet, quemadmodum reliqua Stoicorum praecepta moralia, in *τῇ κοινῇ φύσει*. Ut in placitis de virtute *τὰ μέσα* ea vocantur, quae referri non possunt ad *τῆς κοινῆς φύσεως* praecepta, sed tamen aliquatenus cum ea conveniunt; sic in doctrina de felicitate ea dicuntur *ἀδιάφορα*, quae ad hanc non stricte requiruntur, sed aut cum natura communi conveniunt (*τὰ προηγμένα*), aut ei repugnant (*τὰ ἀποπροηγμένα*) (1). Ea quae secundum naturam sunt Zeno sumenda docet, rejicienda contraria. *Ἀξία τῶν προηγμένων* secundum Stoicos est *ἡ χρεία συμβαλλομένη πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον*. (2)

Denique, ut supra diximus, tertium *τῶν ἀδιαφόρων* genus est eorum quae stricte ita dicuntur, quae neque appetitionem neque aversationem movent, atque adeo nullius sunt momenti. Haec *neutra* vocantur.

Quum igitur Stoici virtutem et felicitatem ita definiant, ut ambae eaedem fere sint habendae : cetera vero, quae possidere hominum interest, quod ad felicitatem et virtutem attinet, *ἀδιάφορα* statuant; nemo, his probatis, offendi

(1) Cic. Acad. Quaest. I. c. 10.
(2) Diog. L. Lib. VII. § 105.

potest hoc eorum paradoxo : ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. (1).

Τὴν εὐδαιμονίαν in rebus humanis (ea dico, quae Stoici ad τὰ προηγμένα referunt) non posse reperiri, neminem potest latere. Nihil in iis invenitur, quod ab omni damno tutum aliquem praestare possit. Adsunt tibi divitiae, atra cura accedit; adest honos, calumnia vexaris; sanitate frueris, impendet morborum copia; vita gaudes, fatalis tibi imminet dies. Id porro τοῖς προηγμένοις est proprium, ut nunquam hominis animo plane satisfaciant, non sit finis appetendi. Divitiarum vel gloriae qui sunt studiosi, licet divitiis abundent vel honore celebrentur, semper id agunt, ut majores sibi comparent divitias et nobiliore palma evehantur ad deos. „Xerxes quidem refertus omnibus praemiis donisque fortunae, non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, praemium proposuit ei, qui invenisset novam voluptatem. Qua ipsa non fuit contentus; neque enim unquam finem inveniet libido" (2). Causa autem, cur non omnes hac de re consentiant, et felicitatem quaerant ubi non potest reperiri, in eo posita est, quod permulti summum bonum definiant a Stoicorum sententia diversum.

Universe omnibus hoc inest, ut fructum lubidinum, qualescunque sint, summum habeant bonum; id omnibus

(1) Zenonis et Chrysippi id esse, testis est Diog. L. Lib. VII. § 127. Conf. omnino Cicero, Paradoxa I et II.

(2) Cicero Tusc. Quaest. V. c. 7.

est finis, ad quod trahit sua quemque voluptas, ut iis, quae optanda putant, potiantur. Illi igitur qui, licet virtuti aliquod tribuant pretium, tamen divitiarum comparationem, gloriae studium, aliaque hujusmodi vitae habeant scopum, paradoxo illi assentiri non possunt. Pauci vero, ne dicam nulli, in tanta hominum multitudine adsunt, qui virtutem summam semper habeant vitae finem, atque ad eam conservandam externa vitae bona relinquere parati sint.

Propterea multi dubitaverunt, imo negarunt, virtutem ad vitam beatam sufficere. Non perspicientes, solam virtutem non esse famulam fortunae, non esse subjectam variis incertisque casibus, sed eam tantarum virium esse, ut se ipsa tueatur; ex humani generis mollitie, non ex ipsa virtute de virtutis robore existimaverunt. Illis virtus non ea est, quae divitias, honores, opes, omnesque casus contemnat humanos; non ea, quae omni carens culpa praeter se ipsam censeat nihil ad se pertinere; sed ea, quae societatem quandam ineat cum voluptate, ut cum ea conjuncta beatam homini praebeat vitam. Haec est Epicureorum sententia, quibus summum bonum positum est in voluptate sive doloris vacuitate, adjunctâ virtute.

Quantum ab horum sententia remotus fuerit Chrysippus, apparet praesertim ex hoc ejus dicto, quod nobis servavit Plutarchus (1) : *οὐ μόνον τὴν δικαιοσύνην, ἀλλὰ καὶ τὴν μεγαλοψυχίαν ἀναιρεῖσθαι καὶ τὴν σωφροσύνην καὶ τὰς ἀλ-*

(1) De Stoic. Repugn. p. 1040 D.

λας ἀρετὰς ἁπάσας, ἂν ἢ τὴν ἡδονὴν ἢ τὴν ὑγείαν ἤ τι τῶν ἄλλων, ὃ μὴ καλόν ἐστιν, ἀγαθὸν ἀπολίπωμεν.

E paradoxo *virtutem ad felicitatem sufficere* sequitur, illum, qui omnibus sit praeditus virtutibus, beatum fore, sive, ut Stoicorum modo loquar, τὸν σόφον εὐδαιμονεῖν. De sapientis virtute quum in capite praecedente egerimus, restat, ut hic paucis exponamus : *quomodo a fortunae casibus* (τοῖς ἀποπροηγμένοις) *sapiens felicitatem suam liberam et salvam teneat.*

Ut recte intelligamus, quomodo sapientis felicitas ab omnibus rebus adversis tuta possit praestari, notandum est, id esse Stoicis proprium, ut non, sicut Plato (1) aliique, cupiditates ceterosque animi motus ad partem aliquam animi a ratione sejunctam referant, sed omnia ista tribuant τῷ λόγῳ. Hoc placitum a Zenone repetendum est. „Hic enim, quum perturbationes (condolescere, concupiscere, extimescere et efferri laetitia) antiqui naturales esse dicerent et rationis expertes, aliâque in parte animi cupiditatem, aliâ rationem collocarent, ne his quidem assentiebatur. Nam et perturbationes voluntarias esse putabat opinionisque judicio suscipi, et omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem immoderatam quandam intemperantiam" (2). Intemperantia autem est „a tota mente et a recta ratione defectio, sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec con-

(1) In libris de Republica. Conf. Cicero Tusc. Quaest. I. c. 10.
(2) Cicero, Acad. Quaest. I. c. 10. Tusc. Quaest. IV. c. 9.

tineri queant. Quemadmodum igitur temperantia sedat appetitiones, et efficit ut eae rectae rationi pareant, conservatque considerata judicia mentis : sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Itaque et aegritudines et metus et reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea." Eodem modo Chrysippus *τὰ πάθη* dixit *κινήσεις ὑπὸ τοῦ λόγου γιγνόμενας*. (1)

Affectus igitur secundum eorum doctrinam pendent prorsus a ratione. Cum his concinit eorum definitio, quam exhibet Stobaeus (2) : *Πάθος δ' εἶναί φασιν ὁρμὴν πλεονάζουσαν καὶ ἀπειθῆ τῷ αἱροῦντι λόγῳ, ἢ κίνησιν ψυχῆς παρὰ φύσιν.* Affectus praecipui, ad quos ceteri referri possunt omnes, sunt hi quatuor : *ἐπιθυμία* et *ἡδονή*, *λύπη* et *φόβος* (3). Illa e duobus opinatis bonis nascuntur, haec e duobus opinatis malis. *Τὴν λύπην* definiunt contractionem (*συστολὴν*) animae rationi non obtemperantem, ejusque causam esse positam in opinione de malis praesentibus; *τὸν φόβον* evitationem (*ἔκκλισιν*) rationi non obtemperantem, ejusque causam esse in opinione de malis futuris. (4)

Stoici non sufficere putant, quemadmodum Peripatetici, ut quis non nimis indulgeat affectibus; imo eadem ratione ac vitia prorsus exscindendos eos esse docent. "Qui enim modum in vitio quaerit, similiter facit, ut si posse putet

(1) Galenus, de Hippocr. et Plat. decretis IV. p. 279.
(2) L.l. p. 166. Conf. Diog. L. Lib. VII. § 110. Cicero, Tusc. IV. c. 6.
(3) Stobaeus, l.l. p. 174 sq. Diog. L. Lib. VII. § 111 sq.
(4) Stobaeus, l.l. p. 172.

eum, qui se e Leucata praecipitaverit, sustinere se, quum velit. Ut enim id non potest, sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest, nec, quo loco vult, consistere : omninoque, quae crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. Aegritudo autem ceteraeque perturbationes, amplificatae certe, pestiferae sunt : igitur etiam susceptae continuo in magna pestis parte versantur. Etenim ipsae se impellunt, ubi semel a ratione discessum est : ipsaque sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur imprudens, nec reperit locum consistendi. Quam ob rem nihil interest, utrum moderatas perturbationes approbent, an moderatam injustitiam. Qui enim vitiis modum imponit, is partem suscipit vitiorum. Quod quum ipsum per se odiosum est, tum eo molestius, quia sunt in lubrico, incitataque semel proclive labuntur sustinerique nullo modo possunt." (1).

Sapiens igitur, licet ei accidant quae vulgo res adversae dicuntur, ea ad se non pertinere putat. Ἀπαθὴς ὁ σόφος διὰ τὸ ἀνέμπτωτον εἶναι (2). Est „saevis tranquillus in undis." Res ipsae nobis nocere non possunt; nocet vero nostra opinio, quâ ea, quae ad nos non pertinent, et quae neque virtuti neque felicitati nostrae aliquid damni possunt afferre, nostra esse putamus. Hinc aegri-

(1) Cic. Tusc. Quaest. IV. c. 18.

(2) Diog. L. Lib. VII. § 117. Cicero de Fin. III. c. 10. Conf. Stobaeus, l.l. p. 182. Εὐεμπτωσία ἔστι εὐκαταφορία (proclivitas) εἰς πάθος.

tudo, dolor, anxietas, timor, similia. Sapiens vero beatus est, quum moderatione et constantiâ quietus sit animo sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis nec frangatur timore nec sitienter quid expetat desiderio (1). Talem sapientis imaginem pulcherrime describit Horatius:

Justum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae. (2).

Animadvertimus, Stoicos omnia quae vulgo ad bona referantur, excepta sola virtute, τοῖς ἀδιαφόροις annumerasse. Ideo Stoicorum doctrinae admodum conveniens est, sapienti posse aliquando causam adesse, cur ipse suo arbitrio vitam relinquat. Variae cum fuerint Stoicorum sententiae de causis (3), cur sapiens sibi mortem consciscere possit,

(1) Cic. Tusc. Quaest. IV. c. 17. De Stoicorum hoc dogmate egregia exstat commentatio in opusculo Meinersii : Vermischte philosophische Schriften II. p. 130 sq.

(2) Horatius, Carminum Lib. III : 3.

(3) Conf. Baumhauer, l.l. p. 252—256 et locos ibi laudatos.

hoc loco tantum ea memorabimus, quae cum reliquis eorum placitis concinere videntur.

Soli sapienti τὴν εὔλογον ἐξαγωγὴν e vita patere, diserte nos monent Stoicorum testimonia. „Quum vitiorum ista vis non sit, ut causam afferant mortis voluntariae, perspicuum est, etiam stultorum, qui iidem miseri sint, officium esse manere in vita, si sint in majore parte earum rerum, quas secundum naturam esse dicimus. Et quoniam excedens e vita et manens aeque miser est, nec diuturnitas ei magis vitam fugiendam facit, non sine causa dicitur iis, qui pluribus naturalibus frui possint, esse in vita manendum" (1). Φασὶ δέ ποτε (οἱ Στωϊκοί) καὶ τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ βίου τοῖς σπουδαίοις καθηκόντως (γίγνεσθαι) κατὰ πολλοὺς τρόπους, τοῖς δὲ φαύλοις μόνην ἐν τῷ ζῆν, καὶ εἰ μὴ μέλλοιεν ἔσεσθαι σοφοί· οὔτε γὰρ τὴν ἀρετὴν κατέχειν ἐν τῷ ζῆν, οὔτε τὴν κακίαν ἐκβάλλειν, τοῖς δὲ καθήκουσι καὶ τοῖς παρὰ τὸ καθῆκον μετρεῖσθαι τήν τε ζωὴν καὶ τὸν θάνατον.

Sapiens vero sibi manus inferre debebit, si virtutem non amplius incolumen servare poterit. Quum enim apud sapientem ab iis, quae secundum naturam sunt, omnia oriantur officia, „non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes, in his et excessum e vita et in vita mansionem" (2). Etiam Chrysippum id statuisse docet lo-

(1) Cic. de Fin. III. c. 18. Stob. l.l. p. 226. Ita hunc locum correxit Madvigius in annotatione ad Ciceronis locum modo laudatum. (p. 452).

(2) Cicero, l.l. Plut. l.l. p. 1039 F.

cus a Plutarcho allatus, ubi ille Theognidis corrigens versus statuit :

χρὴ κακίαν φεύγοντα καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον
ῥιπτεῖν καὶ πετρῶν, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων. (1)

Plura de hoc placito qui legere cupiat, Baumhaueri adeat librum saepius a me laudatum, quo Stoicorum de morte voluntaria sententiae recte distinguuntur ab iis, quae (e. g. vitae aerumnas evitandi studium) saepe homines leviores ad voluntarium e vita excessum impellunt. Gravis enim, imo gravissima causa secundum Stoicos requiritur, ut sapiens sibi mortem inferat, eaque talis, quae in vulgarem hominem cadere nunquam possit.

(1) Versus Theognidis sic se habent :
Ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη πάντων δάμνησι μάλιστα,
Καὶ γήρως πολίου, Κύρνε, καὶ ἠπιάλου·
Ἣν δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον
Ῥιπτεῖν καὶ πετρῶν, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.
Conf. Baguet, l.l. p. 330.

PARS ALTERA.

DE NONNULLIS, IN QUIBUS EX PLUTARCHI SENTENTIA CHRYSIPPI PLACITA SIBI NON CONVENIUNT.

CAPUT PRIMUM.

DE LIBERTATE VOLUNTATIS.

Ut supra vidimus (1), et pantheismi, qui dicitur, et theismi apud Chrysippum exstant vestigia. Ab altera enim parte statuit *μηδὲν ἀναιτίως*, naturam cum fato et deo permutat et homini libertatem non relinquit; ab altera vero parte et deos accipit, et voluntatis libertatem a necessitate vindicare conatur. Non mirum igitur, in iis, quae chartis mandavit, plura exstitisse, quae sibi non convenirent.

Plutarchus pro more suo Stoicis non favens acriter lo-

(1) Part. I. c. I.

cos sibi pugnantes perstrinxit. In quibus eligendis eo modo versatus est, ut ea quae pantheismum redolent, et ea quae theismum, sibi invicem opposuerit, unde ea quae in libro, quem nobis tractandum proposuimus, hac de re leguntur, ad duo referri possunt genera.

§ I.

Negata hominis libertate, Chrysippus deos ponens, eos omnium malorum reos non satis potuit defendere.

Chrysippus (1), de hominum perversitate questus omnesque summe infelices atque miseros esse contendens, vitae mala augeri posse negaverat. Rogat Plutarchus, utrum haec rerum conditio causam habeat in deorum προνοίᾳ, quos Chrysippus quam optime hominibus prospicere saepius monuerat. Dii vero non optime hominum curam gerunt, si vita personae instar loquens, hoc Herculis dictum posset usurpare (2) : Γέμω κακῶν δὴ, κ' οὐκετ' ἔσθ' ὅπῃ τεθῇ.

Nonnulli Pythagoreorum (3), ut notum est, a carne plane abstinentium, Chrysippum vexaverant gallinas galli-

(1) Plut. de Stoic. Repugn. p. 1048 F.

(2) Sunt verba Euripidis in Hercule furente, vs. 1236 (Ed. Glasguae A°. 1821). — Apud Plutarchum de Communibus Notitiis legitur, ut hoc loco : κ'οὐκ ἔσθ' ὅπου τεθῇ. Conf. quae notavit Hermannus ad Euripidis l.l.

(3) Plut. de Stoic. Repugn. p. 1049 A—D.

naceas comendendas dicentem, ne pullorum multitudo ultra quam expediret, succresceret. Ille vero eorum reprehensiones parum curans deos eadem fere ratione cum hominibus agere ostendit, exemplo desumto a bello Trojano, quod a diis commissum dixit imminuendae gratia multitudinis hominum. „Deus enim, Chrysippus inquit, exitii occasiones suggerit, sicut civitates, abundante civium multitudine, colonias aliquo deducunt ut se exonerent, aut bellum aliquod suscipiunt." — Quae acriter oppugnat Plutarchus, quum non conveniant pulchris appellationibus, alibi a Chrysippo deo tributis, e. g. τοῦ Διός, σωτῆρος καὶ γενέτορος καὶ πατρὸς δίκης καὶ εὐνομίας και εἰρήνης. Et primum quidem negat hominum clades tantas, quanta fuit bellum Trojanum aliaque, similes esse coloniarum, quas nemo apud inferos conditas novit; dein Chrysippum deum similem facere Dejotaro, Galatiae regi, qui ut uni filiorum regnum relinqueret, ceteros necaverat, atque saeviorem nobis omnibus, quippe qui catulos recens natos cani subtrahamus, quum Jupiter ipse homines procreans eosque adolescere passus, dein exquisitis exitii occasionibus pessumdet, — cum debuisset potius nullam nascendi causam praebere.

Pergit Plutarchus (1) : „Chrysippus deum bellorum causam dicens, eum et causam facit eorum, e quibus bella oriuntur. Haec vero non sunt nisi vitia : φιληδονία, πλεονεξία, φιλοδοξία, φιλαρχία." Reponat quis, Chrysippum

(2) Plut. l.l. p. 1049 D—F.

haud semel dixisse : *τῶν αἰσχρῶν τὸ θεῖον παραίτιον γίνεσθαι, οὐκ εὔλογον ἐστίν· ὃν τρόπον γὰρ οὔτε νόμος τοῦ παρανομεῖν παραίτιος ἂν γένοιτο οὔτε οἱ θεοὶ τοῦ ἀσεβεῖν, οὕτως εὔλογον, μηδ' αἰσχροῦ μηδενὸς εἶναι παραιτίους.* Porro eum laudasse haec Euripidea:

Εἰ *θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶν θεοί.* (1)

item illud :

Τὸ *ῥᾶστον εἶπας, αἰτιάσασθαι θεούς.* (2)

Concludit Plutarchus : Ergo sibi contradixit, nil aliud volo.

Ne vero quis urgeret Chrysippi dictum modo allatum, ubi deos vitiorum esse causas diserte negavit, plura affert (3) ejus enunciata, quibus omnium rerum necessitas affirmetur. Plutarcho omnino concedendum est, istis enunciatis omnem libertatem humanam negari. Audiamus Chrysippum : „Quum autem tali modo (4) omnium rerum pro-

(1) Justinus Martyr in libello de Monarchia haec esse verba Euripidis in Bellerophonte monuit. Pro *αἰσχρὸν* Just. legit *φαῦλον*.

(2) Ex Euripidis Archelao fragmentum.

(3) Plut. de Stoic. Repugn. p. 1050.

(4) Scil. Chrysippus *τὸ αἴτιον* (ita enim cum Xylandro legendum pro *ἀΐδιον*) *κινήσεως* comparaverat *κυκεῶνι*; fortasse quatenus *τὸ αἴτιον κινήσεως* s. causa eorum, quae moventur (efficiuntur) *necessario* suum effectum (*κίνησιν*) prodit, eodem modo, quo potus mixtus (*κυκεὼν*) *necessario* efficitur iis, e quibus compositus est.

cedat administratio, necesse est nos, utut habeamus, secundum eam esse affectos, sive contra nostram naturam morbis corripiamur, sive mutilemur, sive grammatici fiamus seu musici. Secundum hanc rationem similiter statuemus de virtute nostra et de vitio, atque omnino de scientia vel inscientia, ut modo diximus. Nihil singularum rerum, ne minimum quidem fieri potest aliter quam secundum communem naturam et ejus rationem. Communi enim natura in omnia penetrante, necesse erit omne quod sit in universo et quacumque ejus parte, secundum eam fieri ejusque rationem, ac deinceps procedere sine ullo impedimento : quum nihil foris sit, quod impedire possit administrationem, neque pars ulla moveri aliter aut habere se aliter queat quam secundum communem naturam."

Vides omnia, ne virtute et vitiis quidem exceptis, necessitati, communi naturae, universi rationi a Chrysippo subjungi, quas ex illius sententia a Jove non differre Plutarchus tanquam omnibus notum monet. Ut omne dubium removeat, dictum addit Chrysippi :

„Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή"

τὸν Ὅμηρον εἰρηκέναι ὀρθῶς, ἐπὶ τὴν εἱμαρμένην ἀναφέροντα καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν, καθ' ἣν πάντα διοικεῖται. Quod non mirum! Ubi enim omnia, quaecumque sunt, necessitati ac fato subjunguntur, nullus locus supererit alicui deo, nisi eum aut necessitati subjicere aut cum fato permutare velis.

Idem igitur quod supra Chrysippi ἐναντίωμα urget Plutarchus : deum nullius rei turpis qualicumque modo causam esse, nec quidquam vel minimum secus fieri posse quam secundum communem naturam ejusque rationem. Nam quum omnia adscribuntur diis, quae fiunt, utique etiam turpia in iis sint necesse est. Chrysippus contendit : τῶν τοῦ ὅλου μερῶν μηδὲν ἔχειν ὅπως κινηθήσεται ἢ σχήσει ἄλλως (ἢ) κατὰ τὴν κοινὴν φύσιν. Reponit Plutarchus : τῶν μερῶν σχέσεις εἶναι τὰς κακίας καὶ τὰ νοσήματα, φιλαργυρίας, φιλοδοξίας, δειλίας, ἀδικίας· κινήσεις δὲ, μοιχείας, κλοπάς, προδοσίας, ἀνδροφονίας, πατροκτονίας· et ergo sequi e Chrysippi effatis : ὥστε μὴ γίνεσθαι παρὰ τὸν νόμον τὸ παρανομεῖν, μηδὲ παρὰ τὴν δίκην τὸ ἀδικεῖν, μηδὲ παρὰ τὴν πρόνοιαν τὸ κακοποιεῖν. (1)

Animadvertendum Chrysippum operam quidem dedisse, ut deum a malorum culpa liberaret, non vero illud egisse, ut hominem ipsum diserte suae malitiae reum faceret (2). Duabus enim his rationibus occurrere voluit repugnantiae : omnia fieri κατὰ τὸν Δίος λόγον et τὴν κακίαν adesse :

a. Primo contendit τὴν κακίαν esse necessariam et non

(1) De Epicuro, quem h. l. Plutarchus Chrysippo praeferre videtur, quippe qui magnopere id egisset, ut voluntatem a sempiterna motione liberaret, eoque haud inculpabilem relinqueret malitiam, conf. praeter alios Cic. de fato c. 9, 10, 11 et 19. Caeterum animadvertendum satis iniquum Chrysippo h. l. videri Plutarchum. Conf. ea quae diximus supra p. 18 et 19, et allata ab ipso Plutarcho Chrysippi verba p. 1056 A—1057 D.

(2) Plutarchus l.l. p. 1050 E—1051 C. Conf. Plut. de Comm. Not. p. 1064 et 1065.

inutilem (1). Necessarium : ea enim sublata, locus honesto non foret; quo pacto e. g. justitia posset esse, nisi locus esset injuriae? prudentia, nisi foret contra imprudentia? etc. Non inutilem : quod enim huic illive nocere videtur, recte se habet ratione universi. Diserte haec enunciavit Chrysippus locis a Plutarcho allatis : „adversas res dixit aliquando evenire bonis, non sic ut malis poenae causa, sed secundum aliam dispensationem (*οἰκονομίαν*), qualis est in civitatibus." Comparatur igitur mundi *οἰκονομία* cum *πόλει*, ubi magistratus prae omnibus reipublicae spectant salutem, etiamsi nonnulla constituant quibusdam ingrata sive noxia. „Tribuuntur, pergit Chrysippus, mala *πρὸς τὸν τοῦ Διὸς λόγον*, sive supplicii causa, *ἢ κατ' ἄλλην ἔχουσαν πως πρὸς τὰ ὅλα οἰκονομίαν*." Dein locum affert Plutarchus, ubi Chrysippus *τὴν κακίαν* enunciat *γίνεσθαι καὶ αὐτὴν πως κατὰ τὸν τῆς φύσεως λόγον, καὶ οὐκ ἀχρήστως πρὸς τὰ ὅλα, οὔτε γὰρ ἀγαθὰ ἦν*. Imo Chrysippus eo usque procedit, ut *κακίαν καθόλου ἆραι οὔτε δυνατόν εἶναι οὔτε καλῶς ἀρθῆναι* statueret.

Plura hisce reponit Plutarchus. Rogat quomodo haec conveniant cum hoc Chrysippi placito : „deum punire scelera et multa facere puniendorum malorum gratia, et res adversas evenire malis poenae causa." Num igitur peccata secundum Jovis rationem simul admittuntur et puniuntur (2)? Dein

(1) Conf. omnino Aulus Gellius. N. A. VI, I. ubi Chrysippi sententia de necessitate mali uberius exposita est.

(2) Perspicuum est Chrysippum hoc voluisse : vitia fiunt secundum

Jove indignum censet, ab eo vitia quippe inutilia neque ultro facta puniri, eumque nonnullorum flagitiis resistere. Si vitia non prosunt, Jupiter tanquam eorum causa culpandus; si vero sunt utilia, culpandus, quippe ea puniens. Denique Chrysippus ipse pro viribus vitia philosophando exscindens repugnaret rationi ac deo.

b. Altera ratio, qua Chrysippus *τὴν κακίαν* cum deorum moderamine conciliare studuit, a Plutarcho p. 1051 C—E memoratur. Convenit illa cum Balbi Stoici dicto apud Ciceronem de Natura Deorum, II. cap. 66 : „Magna dii curant, parva negligunt" (1). Chrysippus scilicet in libro *περὶ οὐσίας* rogavit, utrum mala *τοῖς καλοῖς καὶ ἀγάθοις* accidentia deorum negligentiae fortasse sint tribuenda, eadem ratione qua in magnis familiis aliquot grana pereant, reliquis etsi recte dispensatis; an vero neglectiones illae tribuendae sint malis geniis (*δαιμονίοις*), qui his rebus praeessent.

κοινὴν φύσιν s. τὸν τοῦ Διός λόγον (εἱμαρμένην); puniuntur vero a Jove illo vulgari, deo supremo, qui a mundo distingui potest. — Concedendum tamen ea inter se non congruere.

(1) Huic sententiae plures antiquorum, inter quos poëtae, faverunt. In Plutarchi Praeceptis politicis p. 811 D. citatur Euripidis dictum :

— τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται
θεός, τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην
ἀνεὶς ἐᾷ.

et in libello de Audiendis poëtis p. 24 haec incerti poëtae :

Ζεὺς γὰρ τὰ μὲν τοιαῦτα φροντίζει βροτῶν,
τὰ μικρὰ δ' ἄλλοις δαίμοσι παρεὶς ἐᾷ. —

Plutarchus reponit magnorum virorum calamitates, quales sunt Socratis condemnatio, Pythagorae incendium, caedes Zenonis et Antiphontis (1), non conferendas esse cum furfuribus et granis excidentibus, nisi levitatis notam suscipere quis velit. Malis vero geniis acceptis deum similem fieri inepto regi, qui vecordibus satrapis provincias mandaverit, patiaturque ab iis male optimos tractari. Chrysippus ex hoc laqueo expedire se non potest confugiendo ad fati necessitatem; acerrimus enim ejus adversarius urgere non dubitat, necessitate accepta, deum potestate sua non omnia gubernare, neque omnia secundum *ἀρίστην φύσιν περαινεῖν*, quamdiu locus aderit quarumdam rerum neglectioni.

Omnino igitur fatendum videtur, iis locis, quos Plutarchus p. 1048 F—1051 E. attulit, Chrysippum sibi non congruere. Omnium rerum necessitatem accipiens libertati humanae locum non reliquit, et simul deos ponens non prohibere potuit, quin iis malorum culpa tribuatur.

(1) De ratione, qua Pythagoras diem supremum obiit, variae et incertae sunt narrationes. Incendium, quod hic memoratur, est quod vulgo Cyloneum dictum est. Res nota.

Zeno Eleates, Parmenidis discipulus, a Nearcho tyranno misere cruciatus, tandem concisam dentibus linguam in os tyranni exspuisse dicitur.

Antiphon orator, proditionis accusatus, capitis damnatus est.

---

§ II.

Assumto illo μηδὲν ἀναιτίως, pluribus tamen locis τὴν τυχὴν et libertatem voluntatis haud negavit.

a. Nonnulli philosophi (1) ad explicandam rationem, quâ animus inter duas res sibi prorsus similes optionem faciat, δύναμιν quandam ἐπελευστίκην adesse putarunt, quae dubitationem mentis tolleret. Dubitatio ista scilicet locum habet, cum nullum inter res duas est discrimen, neque igitur causa exstat, cur ad hanc illamve praeferendam animus impellatur.

Chrysippus, narrante Plutarcho, hos viros ita oppugnavit. Vim inferre eos dixit naturae qui assumant τὸ ἀναίτιον, et (2) exemplis a talo et libra desumtis ostendit, nihil mutari, nisi causae aut in rebus ipsis insint aut extrinsecus accedant (3). Τὸ ἀναίτιον (pergit) ὅλως ἀνύπαρκτόν ἐστι καὶ τὸ αὐτόματον· ubi causae alicujus rei non videntur adesse,

(1) Plut. de Stoic. Repugn. p. 1045. Wyttenb. novum h. l. caput incipit a verbis τοῦ κατηναγκάσθαι. Faehse vero (Animadversiones in Plut. opera, Lipsiae 1825) haec — πορίζειν ad priora retulit. Hujus ratio praeferenda videtur.

(2) Notandum h. l. quam accurate verba ἀστράγαλος, πτῶσις, αἰτία, αὐτὰ πάντως et ζύγος, ῥοπὴ, διαφόρα, τὰ ἔξωθεν sibi respondeant.

(3) Quomodo haec probare conatus sit Chrysippus, vid. apud Cic. de fato. cap. 10. Eum ista ratiocinatione confudisse *principium causale* et *rationem sufficientem* monet Clar. Schroederus, Elementa Matheseos purae. Pars I. p. 183.

adsunt tamen causae obscurae (ἄδηλοι), neque igitur opus est, ut ἐπελεύσεις, quas dicunt, relinquamus."

His Chrysippi dictis alia addit Plutarchus, quae cum iis haud concinere putat.

Inquisivit scil. Chrysippus, quid, duobus cursoribus simul metam attingentibus, judici faciendum sit; rogatque, utrum lis divelli debeat sorte an casu quodam. (κλήρου γενομένου ἐναλλως κατὰ τὴν ἐπίκλισιν ὡς ἔτυχε). Dein Chrysippus in rebus parvuli momenti ἀφιέναι τῇ ὡς ἔτυχεν ἐπικλίσει τῆς διανοίας οἴεται δεῖν τὴν αἵρεσιν ἀποκληρώσαντας, veluti si nobis optio detur ex duabis drachmis aequalibus, neque causa adest cur hanc illamve sumamus, omissâ ulteriore exploratione ἣν ἔτυχε ληψόμεθα κατ' ἄδηλον τινὰ ἀποκληρώσαντες αὐτὰς λόγον.

Plutarchus in eo Chrysippum sibi contradixisse censet, ut, cum sumeret τὸ μηδὲν ἀναιτίως, acceperit ἀποκλήρωσιν καὶ τὸ ὡς ἔτυχεν ἐπικλῖνον τῆς διανοίας, eoque indifferentium electionem ἄνευ πάσης αἰτίας.

In quibus dijudicandis dolemus nusquam nos invenisse definitionem Chrysippi τῆς τύχης, quâ inventâ lis divelli posset. Sufficiat igitur h. l. animadvertere, si verba a Plutarcho allata spectamus, non necessario iis inesse repugnantiam. Revera inesset, si Chrysippus τὴν τύχην ἀναιτίαν habuisset, quod ex loco laudato confici non potest. Ejus sententia recte se habere videtur, si τύχη, h. e. fors, illud statuatur, cujus causa adest quidem, sed accurate explicari non potest. Porro quod ad ἐπικλήρωσιν attinet, quid in ea

ἀναίτιου insit, non perspicio, si cum Chrysippo credendum est *τὸν ἀστράγαλον μὴ δυνάσθαι ἄλλοτε ἄλλας λαμβάνειν πτώσεις ἄνευ τινὸς αἰτίας* (1). Quod autem *ἐπικλήρωσις* causa esse potest cur alterutri cursorum palma tribuatur, inde efficitur, quod judex certaminis dijudicationem talorum jactui commiserit; hoc eum sine causa fecisse Chrysippus loco laudato non contendit.

b. Superest quem recenseamus locus apud Plutarchum p. 1055F—1057C. ubi Chrysippus assumto fato libertatem humanam haud negasse videtur; quando, ut illius verbis utar, *τὰ περὶ τῶν φαντασιῶν λεγόμενα πρὸς τὴν εἱμαρμένην ἐναντιοῦνται.*

Spectemus primum ea Chrysippi verba quae de fato allata sunt; dein quomodo Plutarchus hisce eum contraria dixisse existimaverit.

Fatum Chrysippus dixit *πάντων αἰτίαν εἶναι.* Laudibus celebravit Homeri de Jove dictum :

Τῷ ἔχεθ', ὅ ττι κεν ὔμμι κακὸν πέμπῃσιν ἑκάστῳ
ἢ ἀγαθόν·

et Euripidis illud :

Ὦ Ζεῦ! τί δῆτα τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
φρονεῖν λέγοιμ' ἄν; σοῦ γὰρ ἐξηρτήμεθα,
δρῶμέν τε τοιάδ', ἃ σύ γε τυγχάνεις φρονῶν· (2)

addiditque „nihil, ne minimum quidem, quiescere aut mo-

(1) Plut. l.l. p. 1045 B.

(2) Homeri locus exstat Iliad. XV : 109, ubi vero vocabula *ἢ ἀγαθόν*

veri ἢ κατὰ τὸν τοῦ Διὸς λόγον, quem idem esse ac fatum."

Ne putes Chrysippum leniore sensu fatum omnium rerum causam dixisse, ita ut non nisi causa quaedam *antecedens* (*non perfecta*) (1) haberi debeat, Plutarchus illius dictum affert : „Fatum αἰτίαν εἶναι ἀνίκητον, ἀκώλυτον καὶ ἄτρεπτον" et monet eum fato haec nomina dedisse : „Ἄτροπον, Ἀδράστειαν, Ἀνάγκην et Πεπρωμένην, ὡς πέρας ἅπασιν ἐπιτιθεῖσαν.

Chrysippus e Plutarchi sententia suis ipse placitis de fato repugnat, quippe contendens : visum non esse perfectam assensionis causam; et errores non a viso, sed ab assensione proficisci. Acriter hoc ipsius placitum Chrysippus contra Academicos defendit. „Nihil, inquit, sine assensione agitur aut suscipitur; figmenta et inanes opiniones illi tuentur, qui volunt idoneo oblato viso statim nos ad rem agendam incitari, etiamsi non simul cogitatione assentiamur." Dein addit : fallacia etiam visa a deo et homine solerti nobis submitti, non quod concessionem a nobis aut assensionem requirant, sed hoc tantum spectent, ut agamus; nos autem pro vitiositate et imbecillitate nostra istis visis assentiri.

Plutarchus, ut saepius, ita hoc etiam loco ostendere conatur Chrysippum aut fati vim deminuisse, quo caderet

non adjiciuntur. In Euripidis verbis Reiskii et Dübneri lectionem secutus sum. Wyttenb. vocabulum γε non addidit. Apud Euripidem in trag. Suppl. vs. 744 sq. (Ed. Glasguae a. 1821) pro λέγοιμ' ἂν legitur λέγουσι et vs. 746 δρῶμεν τε τοιαῦθ' ἂν σὺ τυγχάνῃς θέλων. Conf. porro Diog. Laërt. IX. § 71, et ibi Menagium et Casaubonum.

(1) Conf. quae supra scripsimus, p. 18 et 19.

ejus sententia fatum omnium esse causam, aut in fato posuisse causam malorum, quod credere nefas.

Quod quominus concedamus non impedit Chrysippi placitum, *visum non esse ex se* perfectam assensionis causam, neque distinctio, quam fecit inter φύσιν κατὰ μέρος et φύσιν τῶν ὅλων (1). Recte enim Plutarchus opponit: impeditis partium motibus etiam universi motum impediri, quemadmodum navis non sine impedimento movebitur, si hanc illamve ejus partem impediveris. Dein: „si visa non sunt fatalia, quomodo sint causae assensionum? Aut si fatum dicitur visa facere ducentia ad assensionem et assensiones proinde per fatum fiunt, quomodo non secum pugnat fatum, de maximis saepe rebus visa nobis objiciens contraria, quae animum diverse trahant? Dicunt enim eos, qui alteri assentiantur viso et non cohibeant assensionem, peccare; nimirum qui obscuris cedant visis, temere agere; qui falsis, falli; qui incomprehensibilibus, opinari. Profecto autem trium horum unum necessarium est, ut aut non omne visum sit opus fati, aut ut omnis assensio cujuscumque visi delicto careat; aut ut ne ipsum quidem fatum reprehensione vacare possit." (2).

(1) Affert loco nostro Plutarchus Chrysippi verba : ταῖς μὲν κατὰ μέρος φύσεσι καὶ κινήσεσιν ἐνστήματα πολλὰ γίνεσθαι καὶ κωλύματα, τῇ δὲ τῶν ὅλων μηδέν.

(2) Perspicuum est, Plutarchum h. l. subordinanda coördinasse. Melius, ni fallimur, ita dixisset :

Aut omne visum opus est fati, aut non est; si illud verum, aut omnis assensio visi delicto carebit, aut ipsum fatum reprehendendum.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIRTUTIS NATURA, ET DE RATIONE, QUA IN VITA HOMINIS SE APERIAT.

Audiamus Plutarchum Chrysippi ea perstringentem placita, quae ad virtutem ejusque in homine rationem pertinent. Videbimus, eum saepius summo jure illius errores carpere, haud raro tamen adversarium non ex ipsius placitis sed e suo ingenio dijudicare, quo factum est ut interdum iniquum tulerit judicium.

Τὸ κατόρθωμα, ut vidimus, apud Stoicos est πρόσταγμα νόμου, τὸ δ' ἁμάρτημα νόμου ἀπαγόρευμα (1). Chrysippus inde efficit, τὸν νόμον πολλὰ τοῖς φαύλοις ἀπαγορεύειν, προστάττειν δὲ μηδέν· οὐ γὰρ δύνανται κατορθοῦν.

Notandum est, Chrysippum hic non agere περὶ τοῦ κα-

(1) Plut. de Repugn. Stoic. p. 1037 C.—1038 A. Chrysippi haec esse verba putat Wyttenb. ad h. l. Qualis sit intelligendus νόμος vid. supra p. 23.

θήκοντος, sed *περὶ τοῦ κατορθώματος*. Quid vero Plutarchus? Quasi *τὸ μέσον* non adesset et, memoratis *τῷ καθήκοντι* et *τῷ κατορθώματι*, omne tertium esset exclusum, rogat: „quis nescit eum, qui recte agere nequeat, non posse non peccare?" Ni fallimur, Chryssippi dictum ita est explicandum: Lex, quae sapienti *τὸ κατόρθωμα* praescribit, non eam habet vim in *τὸν φαῦλον*, ut hic *κατόρθωμα* praestet: id enim ejus vires superat: sed hoc tantum apud eum efficere potest, ut a peccato aliquatenus deterritus aliquid agat, quod externo habitu cum sapientis agendi ratione conveniat. Ut exemplum afferam: reddere poterit depositum, non vero *juste* reddet; ejusque factum erit neque *ἁμάρτημα* neque *κατόρθωμα*, sed *μέσον*. Negandum igitur, hoc loco Chrysippum „legem posuisse sibi adversantem, quae malis imperet quae praestare non possint, interdicat quibus abstinere non valeant."

Pergit Plutarchus: *ὁ γὰρ μὴ δυνάμενος σωφρονεῖν ἄνθρωπος οὐ δύναται μὴ ἀκολασταίνειν, καὶ ὁ μὴ δυνάμενος φρονεῖν οὐ δύναται μὴ ἀφραίνειν*. Reponimus: *ὁ μὴ δυνάμενος σωφρονεῖν* gerere se potest eadem ratione atque *ὁ σώφρων*, licet hoc non faciat virtutis causa, sed e. g. ut propter suam *σωφροσύνην* laudetur, eodemque modo *ὁ μὴ δυνάμενος φρονεῖν*. Quod dein addit Plutarchus cujusdam Stoici effatum: „omne interdictum continere mandatum;" id nonnisi lusus verborum videtur. Mandatum enim, ut ita dicam, negans interdicti, non mandati nomen gerere debet.

Stoicorum aliquis (1) dixerat, medicum et musicum punire servos, si non recte secuissent vel cecinissent, sed vitiose et contra artem egissent. Plutarchus, ut doceat Chrysippum turpiter sibi repugnasse, alio loco contendenti, τοὺς φαύλους οὐ δύνασθαι κατορθοῦν, inde concludit, servis impositum fuisse κατόρθωμα, non μέσον (2). At hoc non posse e verbis allatis derivari ipse sensisse videtur, adjungens : εἰ δὲ μέσα προστάττουσιν οἱ σοφοὶ τοῖς φαύλοις, τί κωλύει καὶ τὰ τοῦ νόμου προστάγματα τοιαῦτα εἶναι; Quid impediat? Ratio ipsa τῶν μέσων. Si enim haec, quemadmodum τὰ κατορθώματα, legis essent praecepta, non amplius essent μέσα, sed plane cum κατορθώμασι convenirent.

Denique Plutarchus hoc modo Stoicorum doctrinae illudere conatur. Stoici nempe τὸ εὐλαβεῖσθαι ad sapientem retulerant, ἀφορμὰς a rebus pravis ei tribuentes. Hanc cautionem tribuerant τῷ λόγῳ, hactenus ἀπαγορευτικῷ. Ponit noster dilemma : „Aut," inquit, „aliud est sapientis ratio aliud lex, aut lex nihil aliud est quam sapientis ratio. Si illud verum est : μαχόμενον τῷ νόμῳ λόγον τὴν εὐλάβειαν ἔχουσιν. Si hoc verum : εὕρηται νόμος ἀπαγορεύων τοῖς σοφοῖς ποιεῖν ἃ εὐλαβοῦνται." Quaero : quid obstat, quominus hoc ita se habeat? ubinam Stoici docuerunt τὸν νόμον a λόγῳ esse diversum? Imo ἡ κοινὴ φύσις, ὁ τῆς φυσέως

(1) Hunc fuisse Chrysippum, docet loci contextus apud Plut. l.l. p. 1037 E.

(2) Plut. l.l. p. 1037 C.

λόγος, ὁ νόμος, atque ὁ λόγος universe positus, haec unum idemque apud eos significant (1). Quamquam sapiens ita supra legem esse videtur, legem tamen in pectore habet repositam; nihil aliud agere potest aut vult, nisi quod ab ea imperetur et cum ea conveniat.

Chrysippus et bona et mala (virtutes et vitia) sensilia (αἰσθητὰ) dicit : non solum τὰ πάθη σὺν τοῖς εἴδεσιν (λύπην, φόβον κ. τ. λ.) sed etiam κλόπην, μοιχείαν, ἀφροσύνην, δειλίαν, cetera; eodem modo virtutes (χάραν, εὐεργεσίας, φρονήσιν, ἀνδρείαν, κ. τ. λ.) (2). Plutarchus absurda haec dicit, quam ob causam non addit. Neque equidem video, quaenam adesse possit causa cur absurda dicantur. Quis neget, vitia et virtutes posse animadverti; si non possent, unde eorum cognitio esset petenda, quomodo ulla esse posset doctrina moralis? Ne vero Plutarchum tam graviter errasse statuamus, conjicimus Chrysippum in loco allato, cujus verba intercidisse dolemus, de hac illave hominis conditione egisse, de qua dubitari possit, utrum hominem ad discrimen inter virtutem et vitia observandum ineptum reddat necne. Sed hoc cum Plutarcho mittamus : affert enim argumentum, quod hac in re majoris momenti videtur, contendens sententiam laudatam repugnare τοῖς περὶ τὸν διαλεληθότα σοφόν. „Si bonum," inquit

(1) Sic Chrysippus apud Diog. Laërt. Lib. VII. § 128 : φύσει τὸ δίκαιον εἶναι καὶ μὴ θέσει, ὡς καὶ τὸν νόμον καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον. Conf. supra p. 17, nota 4, et p. 21 sq.

(2) Plut. l.l. p. 1042 E.—1043 A.

Plutarchus, „maximo discrimine a malo differt, nonne maxime absurdum est ignorare aliquem, si fiat (1) ἐκ φαύλου σπουδαῖος, neque eum virtutem quae cum ipso sit sentire, sed putare se adhuc vitio teneri?"

Duplici ratione ad hanc quaestionem respondere possumus. Contendimus enim : non esse absurdum, si paulisper ponamus non Stoici verba hic recenseri. Non est absurdum, sed saepissime, ni fallimur, locum habet, ut aliquis, quum e vitioso probus fiat, putet se adhuc vitiosum esse, imo vitiosiorem quam antea, quum vitiis esset deditus. Qui virtuti non obsequitur, de se magnifice sentire potest, animo superbiâ corrupto; paullatim vero deteriorem se esse quam putarat, animadvertit. Pudet eum vitiorum perversique animi; virtuti operam dare incipit, seque in dies melius cognoscens e sua opinione deterior, revera probior evadit. Si ita Chrysippus ratiocinatus esset, non esset quod ejus sententiam absurdam diceremus.

Chrysippus vero Stoicus erat philosophus, ideoque secundum Stoicorum placita dijudicandus est. Eorum σόφος, ut antea vidimus, non est idem atque ille quem vulgo hominem probum appellamus. Ὁ σόφος est homo perfectus, qui ne fingi quidem potest se ipsum ignorare. Audiamus dictum Chrysippi a Plutarcho p. 1038 D. allatum, ubi sapiens Jovi par habetur. „Jovi," Chrysippus inquit, „convenit de se magnifice sentire, ut qui grandiloquentia

(1) Minus recte in versione latina inseruerunt vocabulum *subito*. In textu non adest.

sua digne vivat; etiam convenit bonis omnibus eadem gloriatio, quum nulla re a Jove superentur." Sapiens omnibus gaudet virtutibus. Nulla igitur adest causa, cur Plutarcho calculum non adjiciamus nostro loco dicenti : „aut nemo virtutes habens omnes id potest ignorare vel dubitare num eas habeat, aut exigua est et omnino difficilis perspectu differentia inter virtutem et vitium, felicitatem et miseriam, pulcherrimam vitam et turpissimam, si quis illa pro his se adeptum non sentiat." (1)

Egregium Chrysippi placitum : *omnes virtutes arcte secum invicem esse conjunctas, adeo ut qui unam habeat, omnes habeat*, a Plutarcho memoratur p. 1046 F et p. 1047 A (2). Optime de philosophia morali is meritus est, qui primus ostendit virtutem esse unam atque individuam, virtutesque non eadem ratione atque vitia sibi invicem esse oppositas; quamobrem maxime laudanda est schola Stoica, quippe quae omnes virtutes ad unum revocavit principium, a quo qui vel latum digitum recedat, nullam virtutem recte colere possit. (3)

Huic vero illius sententiae aliud enunciatum repugnare Plutarchus dicit. Chrysippus enim contendit, hominem bonum non semper fortiter agere, neque vitiosum semper timide; hic enim interdum in judicio persistit, ille labat.

(1) Conf. quae contra eandem enunciationem affert Plutarchus p. 1062 C. D.

(2) Chrysippi verba notavimus supra p. 27 et 28.

(3) Conf. quae de hoc argumento supra l.l. diximus.

Dein probabile dicit, vitiosum non semper indulgere libidini. Quod dictum si accipere liceret de iis, qui sermone vulgari boni, fortes, timidi, vitiosi dicuntur, recte se haberet. Bonum enim vel vitiosum aliquem dicentes, non illum summe esse bonum vel vitiosum contendimus. Aliter vero Stoici : hi enim, ut supra vidimus, homines aut malos aut bonos dicentes strictâ verborum significatione servatâ, non poterant non in errores incidere. Itaque hoc etiam loco Plutarcho concedendum est, Chrysippum sibi repugnasse contendentem : eum, qui vel vitiis omnibus vel virtutibus praeditus sit, necessario secundum has vel secundum illa agere debere, et tamèn bonum non semper agere fortiter, malum non semper timide.

Quomodo interpretandum sit illud Stoicorum decretum : *omnia recte facta et omnia peccata esse paria*, supra (1) investigavimus, vidimusque hoc placitum cum grano salis esse intelligendum, ita ut paria ea dicentes non putemus ea nullâ ex parte esse diversa.

Chrysippi verba, quibus hoc placitum probat, a Plutarcho p. 1038 D. memorantur. Chrysippus enim, mentione facta de grandiloquentia quae sapienti non minus quam Jovi esset concessa, addidisse reperitur : *οὕτω τοῖς ἀγαθοῖς πᾶσι ταῦτα προσήκει, κατ᾽ οὐθὲν προεχομένοις ὑπὸ τοῦ Διός.* Plutarchus inde efficit, eum probasse hoc

(1) Pag. 29 sq.

Stoicorum : *neque vitium vitio majus esse, neque virtutem virtuti neque recte factum recte facto praestare.*

Cum hisce omnibus aliud Chrysippi dictum pugnare putat, nempe hoc (1) : Justitiam salvam posse retineri, voluptate inter bona numeratâ; eandem vero tolli, si voluptas τέλος esse dicatur. „Si id tantum bonum est," inquit Plutarchus (2), „quod honestum ac suapte natura laudabile sit; peccat qui voluptatem bonum appellat, minus tamen eo peccat, qui etiam finem in ea statuit, quum hic justitiam aboleat, ille servet, hujus sententia societatem vitae humanae evertat, ille bonitati et humanitati locum relinquat."

Haec omnia concedenda sunt; sed, cedo, ubinam repugnantia adest? Plutarchus celebratum hoc paradoxon non e Stoicorum, sed ex sua ipsius mente interpretans, diversitatem illam peccatorum cum hoc non concinere putat. In quo eum minus recte judicasse, non opus est pluribus verbis demonstremus.

Sequitur Chrysippi enunciatum αὔξεσθαι τὰς ἀρετὰς καὶ διαβαίνειν, quod Plutarchus, licet humaniter dicat se id omittere, ne vocabula carpere videatur, cum aequalitate virtutum pugnare putat. Explicare fortasse enunciatum

(1) Dübnerus h. l., ut et p. 1040 D. a vulgari versione, qualis in edit. Wyttenb. legitur, recedens, verba ἀγαθοῦ αὐτῆς ἀπολειπομένης ita reddidit : „si eam separemus a bono." — Quam ob causam hoc fecerit non video, nec quomodo locus ita idoneum sensum possit praebere.

(2) L.l. p. 1038 E.

illud poterit locus apud Ciceronem (1) ; „Sed quamquam negant (Stoici) nec virtutes nec vitia crescere, tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant." Ex hoc loco et ex iis, quae antea de hujus paradoxi interpretatione disputavimus, patet non necessario sequi, Chrysippum in his sibi repugnare. Virtus enim, licet semper eadem habeatur, potest tamen magis minusve in factis exstare, et hoc quidem sensu *αὔξεσθαι καὶ διαβαίνειν*.

Neque nobis obstare potest Chrysippi dictum : (2) „Cum sua cuique virtuti propria sint munera, eorum tamen quaedam esse praestantiora aliis, atque adeo quaedam magis esse digna quae laudentur". Haec vero Chrysippus dum exemplis illustrare studet, talia affert, quae risum adversarii non movere non possint, et Plutarchus hanc occasionem Stoicum irridendi non neglexit. Hic enim de factis minoris momenti, attamen *e virtute* profectis agens, locutus est de quodam *fortiter* digitum extendente, *continenter* a vetula moribunda abstinente, similia. Quasi ad talia perpetranda opus esset virtute, fortitudine, continentia! Vituperandus Chrysippus talia (3) dicens *συμβαίνοντα ἀπ' ἀρετῆς*, sed etiam Plutarchus reprehendendus, qui putet Chrysippum

(1) De Finibus Bon. et Mal. III. c. 15.

(2) Apud Plutarchum l.l. p. 1038 F.

(3) Plut. l.l. p. 1039 C. haud immerito ostendit ex allato Chrysippi placito : *τὸ ἀγαθὸν αἱρετόν, κ. τ. λ.* caste a vetula abstinere secundum eum laude dignum esse.

ista maximo (1) benefacto aequalia atque ideo aeque laudanda habuisse.

Quae porro a Plutarcho afferuntur Chrysippi enunciata de amicorum discrimine, quum alii alium amicitiae et fidei mereantur obtinere gradum, difficilius a reprehensione possunt vindicari. Id enim universe notandum, in Chrysippi philosophia morali omnia fere recte se habere, ubi de rebus abstractis, de virtute et vitiis per se spectatis sermo est; minus vero eum sibi congruere, si ratio quaeritur, qua in homine haec omnia adsint. Causa est, ni fallor, Stoicorum illud placitum, quo omnes aut bonos aut pravos esse volunt (2). Itaque et hic locus, licet cum hominum conditione, quales in vita spectantur, omnino concinat, pugnat tamen cum eorum placito : *sapientes solos inter se amicos esse.* (3)

Stoicorum errore, quem supra notavimus, *duo tantum esse hominum genera*, *bonos et malos*, Plutarchus usus est, ut Chrysippum sibi repugnasse probaret. Neque mirum, eum hac in re sibi contradixisse. Ab altera enim parte hoc placitum non potuit non eum adducere ad perversas de morali hominis conditione opiniones, ab altera parte contrariam huic sententiam afferre debuit observatio hominum, quales in vita, non in philosophorum schola inveniuntur.

(1) Si quidem ea recte se habent, quae ad hunc locum (p. 1039 B.) corruptum supplevit Wyttenbachius.

(2) Vid. quae supra diximus p. 34 sq.

(3) De hoc placito vid. Lipsii Manuduct. III : 16.

Exemplum apud Plutarchum exstat ll. p. 1046 B et C. Chrysippus ibi contendit τὴν ἐπιχαιρεκακίαν ἀνύπαρκτον εἶναι, eamque sententiam argute probare studet: „Quis enim malis gaudet? An bonus? At hic numquam alienis malis gaudebit. An malus? Sed horum nemo omnio gaudet (1). Praeter bonos autem et malos nemo adest; neque igitur adest ἡ ἐπιχαιρεκακία."

Longe abest, ut hanc ratiocinationem, licet manifestum errorem contineat, plane pro delirantis somnio habeamus. Levi addita mutatione omnis error removetur. Nemo, *quatenus* bonus est, malis alienis gaudet, nemo, *quatenus* malus est, omnino gaudere potest. (Notandum, non eum revera *gaudere* (2), qui vitii aut peccati causa se felicem putet : hic enim a semet ipso fallitur). Hinc vero non sequitur, neminem malis alienis gaudere : omnes enim homines *aliquatenus* boni, *aliquatenus* mali dicendi sunt; in omnibus vitia virtusque sunt permixta. Sic e. g. aliquis gaudere potest, quatenus ad bonos refertur, quatenus refertur ad malos (φαύλους, imperfectos) errare potest aliena mala revera bona putans; potest alius quis, quatenus malus est, invidiose aliorum mala laeto animo contemplari,

(1) Ita lego, monente Meziriaco et probante Wyttenbachio, supplens τῶν δὲ φαύλων οὐδεὶς χαίρει. Concinere id cum Stoicorum doctrina docet locus, quem mox allaturi sumus e Ciceronis Quaest. Tusc.

(2) Conf. Cicero, Quaest. Tusc. IV. c. 6. „Quum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud *gaudium* dicitur; quum autem inaniter et effuse animus exsultat, tum illa *laetitia gestiens* vel *nimia* dici potest, quam ita definiunt Stoici : sine ratione animi elationem."

et simul laetitiam istam cum bonorum gaudio permutare. Si reponas : „alter igitur revera non gaudet, alter vero non gaudet alieno malo, cum id bonum habeat;" concedimus Chrysippi sententiam probandam esse. Ita vero acceptum ejus enunciatum ad sophismata referri debet. Vox ἐπιχαιρεκακία contradictionem continet, si nemo, qui aliorum malis gaudet, ad χαίροντας referri potest.

Ad Plutarchum redeamus, qui non id agit ut Chrysippi sententiam ratiocinando refutet, sed affert ejusdem dictum huic contrarium. Hic enim postquam egit de dolore propter bona aliena, ita pergit : ταύτῃ δὲ (τῇ λύπῃ) συνεχὴς ἡ ἐπιχαιρεκακία γίνεται, ταπεινούς βουλομένων εἶναι τοὺς πλησίον, ὅπως ὑπερέχωσιν αὐτοί. Plutarcho concedimus, Chrysippum hac in re sibi non constare.

CAPUT TERTIUM.

DE FELICITATE EJUSQUE CUM VIRTUTE CONJUNCTIONE.

In superioribus vidimus, Stoicos ita de virtute statuisse, ut omnes virtutes ad unum revocent principium, τὴν τῇ κοινῇ φύσει ὁμολογίαν; vidimus etiam, hoc eorum placitum plane convenire cum eo, quod homini tamquam summum bonum est propositum, quippe quod ipsum quoque in consensu cum communi natura positum sit, adeo ut unus tantum homini possit esse vitae finis.

Optime cum hisce congruunt verba Chrysippi, quae a Plutarcho in libro de Stoic. Repugn. p. 1040 D. afferuntur : „Non justitiam modo, sed et magnanimitatem et temperantiam et omnes reliquas virtutes sublatum iri, si aut voluptatem aut bonam valetudinem aut ullam aliam rem, quae non sit absolute honesta, in bonorum censu haberi patiamur" (1). Ad hunc vero locum Plutarchus

(1) Conf. Cicero de Officiis I. c. 2. „ Qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis commodis,

affert plurima Chrysippi enunciata, quae quomodo aut cum placito modo laudato aut cum universa Stoicorum doctrina concinant, nec ipse video. Contendit scilicet Chrysippus : τάχα γὰρ ἀγαθοῦ αὐτῆς (τῆς ἡδονῆς) ἀπολειπομένης, τέλους δὲ μή, τῶν δὲ δι' αὐτῶν αἱρετῶν ὄντος καὶ τοῦ καλοῦ, σώζοιμεν ἂν τὴν δικαιοσύνην, μεῖζον ἀγαθὸν ἀπολιπόντες τὸ καλὸν καὶ τὸ δίκαιον τῆς ἡδονῆς. (1)

Huic placito, si ad Stoicorum rationem exigatur, obstat primum, quod ita sejunctio fit inter *bonum* et *finem*. E Stoicorum enim doctrina apparet ambobus vocabulis illis unum idemque significari; illud tantum *bonum* esse, quod sit honestum, illud tantum honestum, quod cum communi natura conveniat, idemque esse felicitatem, quae sola *finis* habenda sit (vide supra pag. 39 sq.). Si quid referri non poterit ad *finem*, non erit *bonum*, sed aut *malum* aut *indifferens*; si *indifferens*, poterit quidem ad τὰ προηγμένα pertinere, sed horum nihil bonum dici potest (2). Dein quam maxime Stoicorum doctrinae repugnare, quod, voluptate in bonis posita, virtuti sit locus, imo incolumis

non honestate metitur, hic si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit nec justitiam nec liberalitatem. Fortis vero dolorem summum malum judicans, aut temperans voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest".

(1) Plutarchus, l.l. p. 1040 D. Quae deinceps sequuntur Chrysippi dicta p. 1040 F. eodem fere redeunt. — De discrimine inter τὰ αἱρετὰ καὶ τὰ αἱρετέα conf. Stobaeus, l.l. p. 140.

(2) Diserte id monet Stobaeus, l.l. p. 156. Οὐδὲν τῶν ἀγαθῶν εἶναι προηγμένον, διὰ τὸ τὴν μεγίστην ἀξίαν αὐτὰ ἔχειν.

illa servari possit, id non opus est pluribus verbis demonstremus.

Atque haec repugnantia major etiam videbitur, si animadvertimus diversa illa Chrysippi effata in eodem exstitisse opere : ἐν τοῖς πρὸς Πλάτωνα περὶ δικαιοσύνης (1). Quod si non ita esset, haud improbabilis foret conjectura, alterum enunciatum desumtum esse ex opere, a Chrysippo (qui ut notum est, permulta scripto mandavit) juvenili aetate confecto, quum nondum satis Zenonis doctrina imbutus esset. Quum vero Plutarchus dicat, eum haec scripsisse in libro, in quo Platonem et Aristotelem reprehendit, aut dicendum est, Chrysippum, alterum reprehendendi studio, sibimetipsi parum constitisse; aut, quod probabilius credo, eum haec non e sua sed e Platonis mente disseruisse, idque Plutarchum prae nimio carpendi studio fugisse. Chrysippus nempe tale quid dixisse videtur : „e Platonis sententia αἱ ἡδοναὶ ad bona referri possunt, non vero ad summum bonum (τὸ τέλος); idque salva justitia, quum haec (secundum Platonem) pertineat ad bona majoris pretii, quibus etiam τὸ καλὸν annumeratur." Eum deinceps Platonis sententiam e Stoicorum mente oppugnasse verisimile est. (2).

(1) Nam ita opus inscriptum fuisse memoratur apud Plutarchum l.l. p. 1040 B. Paullo post agitur de libris περὶ δικαιοσύνης, dein de libris πρὸς Πλάτωνα.

(2) Optime tale quid cum Platonis doctrina congruere docet locus, qui est de Republica p. 357 B—358 A. Ibi tria discernit Plato bonorum genera : unum, quod per se expetendum sit, nulla utilitatis habita ratione (οἷον τὸ χαίρειν καὶ αἱ ἡδοναὶ ὅσαι ἀβλαβεῖς) ; alterum, quod et per se ipsum sit amabile et propter commodorum fruc-

Denique Plutarchus ll. p. 1041 A. recte monet, Chrysippum errasse statuentem : justitia sublata, reliquas tamen virtutes vim suam posse retinere (1); eumque in hoc sibi repugnasse, quum alibi statuat : ὅτι πᾶν κατόρθωμα καὶ εὐνόμημα καὶ δικαιοπράγημά ἐστι· τὸ δέ γε κατ' ἐγκράτειαν ἢ φρόνησιν ἢ ἀνδρείαν πραττόμενον, κατόρθωμά ἐστι· ὥστε καὶ δικαιοπράγημα. Quae verba revera Stoicae doctrinae consentanea sunt.

Chrysippus scientiam bonorum et malorum maxime ad vitam dicit esse accommodatam, eamque convenire cum innatis notionibus (2). Idem porro contendit, ea scientia ab omnibus aliis rebus nos abstrahi, quippe nihil ad nos pertinentibus neque ad felicitatem quidquam conducentibus. Perspicuum est, hic sermonem esse περὶ τῶν προηγμένων, quae aliis quoque locis (3) nihil ad nos pertinere

tum expetatur (οἷον τὸ φρονεῖν, κ. τ. λ.); tertium, quod quum per se non expetendum videatur, tamen propter effectum, quem habeat, minime sperni soleat. (οἷον τὸ γυμνάζεσθαι κ. τ. λ.). Et sub alterum quidem illud, quod utroque nomine se commendat, Socrates h. l. *justitiam* subjectam esse ait.

(1) Vid. Plutarchus, p. 1040 F.

(2) Plutarchus, l.l. p. 1041 F. — Πρόληψις est naturalis intelligentia eorum, quae universaliter sunt (ἔννοια φυσικὴ τῶν καθόλου). Ad ἐννοίας tamquam ad genus refertur πρόληψις. Ceterae ἔννοιαι non fiunt ἀνεπιτεχνήτως, sed διὰ διδασκαλίας καὶ ἐπιμελείας. Conf. Diog. Laërt. L. VII. § 54 et Plutarchus de Placitis phil. III. c. 11. De hoc argumento egit T. Roorda, cujus exstat commentatio in Annalibus Acad. Lugd.-Bat. a. 1822—1823, ubi vide p. 9 sq.

(3) Plutarchus de Stoic. Repugn. p. 1048 B., de Comm. Not. p. 1060 E.

ab eodem dicuntur. Plutarchus in eo inesse putat repugnantiam, quod ab una parte doctrinam suam vitae et προλήψεσι convenientem esse statuat Chrysippus, ab altera vero parte doctrinâ suâ nos abstrahat a vita, a sanitate aliisque rebus optabilibus, easque nihil ad nos pertinere contendat.

Hic vero Plutarchus subtilioribus Stoicorum definitionibus deceptus est. Ut enim supra animadvertimus, Stoicos distinguere inter τὰ ἀδιάφορα, quatenus homo virtutis et verae felicitatis sit studiosus, et τὰ ἀδιάφορα, ratione habita cupiditatum, qualescumque sint; ita hoc loco non dubitandum est, eos pari modo distinxisse res, quae ad nos pertinere dicuntur. Pertinent quidem ad nos τὰ προηγμένα, quatenus aliquod pretium iis sit tribuendum; non vero ad nos pertinent, si virtutis et felicitatis (τοῦ τέλους) ratio habetur.

Quae deinceps addit Plutarchus, ea minoris sunt momenti. Nimirum, ut aperte ostendat, secundum ipsius Chrysippi opinionem in verbis laudatis inesse repugnantiam, hoc ejus affert enunciatum : διὸ καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ τε μεγέθους καὶ τοῦ κάλλους, πλάσμασι δοκοῦμεν ὅμοια λέγειν, καὶ οὐ κατὰ τὸν ἄνθρωπον καὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν. At non animadvertisse videtur censor, Chrysippum dicere πλάσμασι δοκοῦμεν ὅμοια λέγειν, non vero πλάσμασιν ὅμοια λέγομεν.

„Sapiens," ait Chrysippus, si amplissimas opes amittat,

reputaturus est, se unicam amisisse drachmam" (1). Quod, ni fallor, e Stoicorum mente ita explicandum est. Ceteri homines, quum divitias maximo habeant pretio in iisque summum sibi ponant bonum, haud aegre quidem ferunt, si unicam amiserint drachmam, summo vero dolore afficiuntur, si amplissimae opes iis eripiantur. Non ita sapiens. Hic enim virtutem summum habens bonum, ejusque possessionem sibi tutam esse sciens, aequo animo opes sibi ereptas conspiciet, neque alio modo afficietur, quam φαῦλος iste si unicam amiserit drachmam.

Plutarchus vero haec verba ita accepisse videtur, quasi Chrysippus contendat, sapienti opes nullius omnino esse pretii (2). Philosophum igitur sibi repugnasse putat, quum alibi sapienti praecipiat, quomodo sophisticam artem exercens a discipulis commode mercedem exigat (3). Praeceptum illud huc redit : Sapiens ab omnibus discipulis ne eadem ratione mercedem poscat; si poterit, eam accipiat tempore constituto, quemadmodum et sibi et discipulo optime conveniet; qui tamen modus etsi humanior, minorem a damno habet cautionem. Licebit ergo sapienti, si necessarium putet, statim quum discipulus se ei tradiderit,

(1) Plut. l.l. p. 1043 F.

(2) Τὰ προηγμένα non esse ἀνάξια secundum Stoicorum doctrinam supra monuimus. (Vid. supra p. 41).

(3) Tres lucri faciendi modos sapienti ponunt Stoici : e regno, ex amicis, ex arte Sophistica. Nonnulli vero eorum infra philosophiae dignitatem censebant, si mercede quis philosophiam doceret. Conf. Plutarchus, l.l. p. 1043 E. Stobaeus l.l. p. 224 sq.

mercedem ab eo exigere, ut ita omnes caveat ea in re injurias (ἀδικήματα).

Hoc vocabulum ἀδίκημα Plutarcho ansam praebet, aliam Chrysippi, ut opinatur, repugnantiam memorandi. Hic enim alibi statuerat μὴ ἀδικεῖσθαι τὸν σοφόν. Num vero hoc ad damnum mercedis jactura sapienti illatum referri possit, judicet aequus lector ex iis, quae exhibet Stobaeus l.l. p. 228 : „Neque injuria affici nec laedi sapientem; fieri quidem interdum, ut alii in eum invehantur et contumeliose in eum agant, at vel sic tamen innocuum esse sapientem nec cadere in ipsum contumeliam, quippe eos potius dedecorantem, qui illam inferant. Sapientem vero liberum ab ea fore, qui dehonestari prorsus nequeat, cum in se ipso habeat bonam et divinam virtutem, adeoque vacuus sit ab omni vitio et noxa."

Eodem fere modo Plutarchus fallitur in loco, quem nunc exposituri sumus.

Vetustiores quidam (teste Plutarcho l.l. p. 1047 E.) id, quod evenit alicui acidum vinum habenti, ut neque tamquam acetum neque tamquam vinum id vendere posset, Zenoni accidisse dixerunt, quum τὸ προηγμένον μήτε ὡς ἀγαθὸν μήτε ὡς ἀδιάφορον (1) posset venditare. Quos vero minus recte judicasse, ex iis, quae supra de προηγμένου ratione memoravimus, luculenter patet. Plutarchus vero

(1) Lego ἀδιάφορον (non διάφορον), monentibus Meziriaco et Salmasio, probante Wyttenbachio.

existimat, Chrysippum rem etiam minus commendabilem reddidisse. Hic enim insanire dicit eos, qui divitias, sanitatem, indolentiam, incolumitatem corporis pro nihilo ducant, neque iis parandis sint intenti; et, postquam attulit Hesiodeum illud :

Ἐργάζευ, Πέρση, δῖον γένος! (1)

addit, delirantis esse contrarium praecipere :

Μὴ ἐργάζου, Πέρση, δῖον γένος!

Deinde Plutarchus Chrysippi citat enunciatum, quo sapientis habetur agere aliquid mercedis gratia (2), et memorat, eum alicubi quodammodo concedere, προηγμένα ista (divitias, sanitatem, mercedem) ἀγαθὰ dici, opposita τοῖς κακοῖς, atque ita quodammodo τὸ προηγμένον admodum propinquum facere τῷ ἀγαθῷ et cum eo miscere.

His igitur omnibus repugnare Chrysippus existimatur hoc effato : „Nihil τῶν προηγμένων ad nos pertinere (3), et rationem ab iis prorsus avertendam esse." Eundem

(1) Exstant verba in Hesiodi carmine, *Opera et Dies*, vs. 299.

(2) Ejusdem dictum : „ sapientem ter capite saltaturum esse, ut talentum accipiat," a sapientis dignitate abhorrere perspicuum est. — Conf. ea, quae modo diximus de modis lucrum faciendi, qui sapienti ponuntur (p. 82, nota 3).

(3) Conf. Cicero de Fin. III. c. 13.

repugnare suis ipsius ratiocinationibus contendit Plutarchus, quando eos irridet, qui propter magnas fortunas aliquem beatum dicant, quasi in usu auri et argenti consistat felicitas! Denique in eo etiam peccare Chrysippum dicit, quod viro bono, si omnia sua amittat bona, perinde dicit esse ac si drachmam amiserit; si aegrotet, ac si pedem aliquo impegerit.

Quomodo haec omnia sint intelligenda, non opus est, ut moneamus post ea quae notavimus ad Plutarchi l.l. p. 1043 F. Unum hoc animadversione dignum est, quo luculenter probatur, Plutarchum propter studium adversarium carpendi nonnunquam turpiter errasse. Contendit enim, Chrysippum τὸ προηγμένον τῷ ἀγαθῷ συναγαγεῖν ἐγγὺς καὶ συμμιγνύναι, idque his verbis : (1) Ἔξεστιν, εἴ τις βούλεται κατὰ τὰς τοιαύτας παραλλαγὰς, τὸ μὲν ἀγαθὸν αὐτῶν λέγειν, τὸ δὲ κακὸν, ἐπί γ' αὐτὰ φερόμενος τὰ πράγματα, καὶ μὴ ἄλλως ἀποπλανώμενος, ἐν μὲν τοῖς σημαινομένοις οὐ διαπίπτοντος αὐτοῦ, τὰ δ' ἄλλα στοχαζομένου τῆς κατὰ τὰς ὀνομασίας συνηθείας.

Perspicuum est, Chrysippum his verbis nihil omnino concedere quod attinet ad res ipsas, sed hoc tantum : *nomina* mutare licere, modo quis *ad res ipsas se astringat*, *nec ab his divagetur*, *neque in iis designandis fallatur*. Quid autem est nominum mutatio, rebus non mutatis?

Quae porro contendit Plutarchus l.l. p. 1048 B. et C.

(1) Plut. l.l. p. 1048 A.

silentio praeterimus. Fallitur enim, quum virtuti ea tribuit quae Chrysippus diserte tribuit solis *προηγμένοις*. Quod deinde addit, Chrysippi doctrinam non concinere cum vulgi de diis opinionibus : id sane non est mirandum!

Quum e Stoicorum doctrina *τὰ προηγμένα* eatenus sint *ἀδιάφορα*, quatenus ad felicitatem nihil conferant, ipsaque vita in *ἀδιάφοροις* censeatur, necessario sequitur, longitudine temporis non augeri felicitatem. Stoicorum hanc esse sententiam monet Plutarchus, (1) hoc eorum citans placitum : *ἀγαθὸν ὁ χρόνος οὐκ αὔξει προςγινόμενος.* et Chrysippi illa : *ὅτι παρὰ τὸν πλείονα χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονοῦσιν, ἀλλ' ὁμοίως καὶ ἐπίσης τοῖς τὸν ἀμερῆ χρόνον εὐδαιμονίας μεταςχοῦσιν.* Hujus paradoxi rationem explicat Seneca Ep. 74 : „Summum bonum nec infringitur nec augetur; in suo modo permanet : utcumque fortuna se gessit, sive illi senectus longa contigit, sive citra senectutum finitus est, eadem mensura summi boni est, quamvis aetatis diversa sit. Utrum majorem an minorem circulum scribas, ad spatium ejus pertinet, non ad formam : licet alter diu manserit, alterum statim obduxeris, et in eum in quem scriptus est pulverem solveris, in eadem uterque forma fuit. Quod rectum est, nec magnitudine aestimatur nec numero nec tempore; non magis produci quam contrahi potest. Honestam vitam ex centum annorum numero in

(1) De Comm. Not. p. 1061 F. et 1062 A. De Stoic. Repugn. p. 1046 D. Conf. Cicero, de Fin. III. c. 14.

quantum voles corripe, et in unum diem coge : aeque honesta est. — Ergo aeque beata est".

Plutarchus vero huic Chrysippi placito repugnare judicat id, quod idem alibi enunciavit, nempe : *οὔτε πᾶν ἀγαθὸν ἐπίσης εἰς χαρὰν πίπτει, οὔτε πᾶν κατόρθωμα εἰς σεμνολογίαν· καὶ γὰρ, εἰ μόνον μέλλοι ἀμερῆ χρόνον ἢ τὸν ἔσχατον ἕξειν φρόνησιν, οὐδ᾽ ἂν τὸν δάκτυλον καθήκοι ἐκτεῖναι ἕνεκα τῆς οὕτω παρεσομένης φρονήσεως* (1). „Quasi vero", inquit Plutarchus, „longius tempus nihil addat felicitati, neque beatitudo sempiterna magis sit expetenda quam quae punctum temporis duret!" Eoque absurdiora haec esse censet, quum e Stoicorum doctrina virtus et felicitas a se invicem non possint sejungi, sed eaedem fere habendae sint. „Quomodo igitur non pugnant haec ambo : felicitatem unius momenti aequalem esse sempiternae, atque felicitatem, quae momentum duret, nullius esse pretii?"

Unice ad hoc animadvertere sufficiat, in altero Chrysippi effato agi de felicitate per se spectata, in altero vero de felicitate, quatenus hominibus commodum afferat. Felicitas brevioris temporis minus optanda est omnibus quam quae longius duret, et felicitas unius momenti nulla fere est habenda. Utraque tamen non differt gradu et

(1) De Stoic. Repugn. p. 1046 D. De dictione *πίπτειν εἰς* conf. Passow in voce *πίπτω*. — Verba, quae sequuntur *καίπερ — ἀμεριαίαν* cum Hütteno, Wyttenbachio et Dübnero non Chrysippi sed Plutarchi habenda sunt. De Epicuri placito, quod h. l. memoratur : *τὴν φρόνησιν ποιητικὸν εἶναι τῆς εὐδαιμονίας* conf. Delprat, l.l. p. 9.

eatenus unius ejusdemque est pretii; eatenus nec deminui nec augeri potest felicitas.

Chrysippus conveniens cum iis Stoicorum placitis (1), quibus, ut supra vidimus, sapienti mors voluntaria tanquam officium imponitur, eadem vero insipienti prorsus denegatur, laudavit illud Antisthenis : δεῖν κτᾶσθαι νοῦν ἢ βρόχον, item hoc Tyrtaei :

πρὶν ἀρετῆς πελάσαι τέρμασιν, ἢ θανάτου·

Dein Theognidis versus corrigens sic eloquitur : (2)

χρὴ κακίαν φεύγοντα, καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον
ῥιπτεῖν καὶ πετρῶν, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.

Chrysippum his ostendere velle, mortem vita utiliorem esse hominibus *malis* ac *fatuis*, non opus est Plutarcho concedamus, quum Chrysippus iis locis nullam malorum mentionem faciat, et ejusmodi quid prorsus a Stoicorum doctrina abhorreat. Verisimile igitur est, eum his verbis non περὶ τῶν φαύλων, sed περὶ τῶν σόφων egisse, quibus, si ad τὸν νοῦν καὶ τὴν ἀρετὴν servandam necesse est, e vita esse cedendum.

Alibi eum his contraria enunciasse, quum Platonis oppugnaret sententiam censentis : ὅτι τῷ μηδὲ μαθόντι μηδ' ἐπι-

(1) Locus Plutarchi, qui hic recensetur, exstat l.l. p. 1039 D—1040 A.

(2) De hoc Theognidis loco vide quae supra notavimus, p. 50.

σταμένῳ ζῆν λυσιτελεῖ μὴ ζῆν, putat Plutarchus (1). Chrysippus nempe haec contra Platonem attulisse fertur: „Haec oratio et secum ipsa pugnat, et minime pertinet ad exhortationem. Primum enim, quasi obiter ostendens, optimum nobis esse non vivere, et quodammodo mori jubens, ad alia quaevis nos magis excitabit quam ad philosophandum. Nam neque philosophari potest qui non vivit; neque prudens fiet unquam qui non multum temporis male et imperite vivendo transegerit." Porro, „malis etiam expedire censet, ut in vita maneant; virtus enim nuda nihil facit ad id, ut vivamus; at vitiositas aeque nihil eo facit, ut discedere debeamus e vita."

Hoc loco de *pravis* hominibus agere Chrysippum quis non videt? Postrema illa: „virtutem nudam (τὴν ἀρετὴν ψιλῶς) nihil facere ad vivendum, neque vitiositatem ad discedendum e vita" hoc significare videntur: non ita rem se habere, neque ut vitiosus quisque mortem sibi consciscere debeat, neque ut probus quisque in vita manere: quod sane Stoicorum placitis hac de re plane esset oppositum.

Plutarchus igitur hoc loco minus recte judicasse censendus est, quum non distinguat, alterum a Chrysippo de sapiente, alterum vero de homine pravo statui.

Locus, qui nobis tractandus restat, legitur apud Plutarchum l.l. p. 1042 A—E:

(1) De Stoic. Repugn. p. 1039 E. — Locum, ubi Plato haec scripserit, non inveni. Fortasse Chrysippus spectat ad locum *de Republica* III, p. 407 A.

„Vitiose vivere idem esse, quod vivere infeliciter" Chrysippus quum statuat, idem tamen contendit ὅτι λυσιτελεῖ ζῆν ἄφρονα μᾶλλον, ἢ (μὴ) βιοῦν, κἂν μηδέποτε μέλλῃ φρονήσειν. Plutarchus perperam hisce verbis significare eum voluisse censet λυσιτελεῖν τὸ ἀφρόνως ζῆν : quod Chrysippi dicto non quadrare perspicuum est, quum is non τὴν ἀφροσύνην, sed τὸ ζῆν prodesse insipienti statuat. Repugnant vero his secundum Plutarchum ea, quae alibi dixit Chrysippus : μηδὲν εἶναι τοῖς ἄφροσι λυσιτελές. Concedimus haec, quod ad verba attinet, aperte inter se pugnare; dolemus vero ob libros Chrysippi deperditos hujus loci contextum nobis non patere. Fortasse inde probari posset eum verbis : „insipienti nihil prodesse" pro subtiliore ipsius argumentandi ratione hoc significasse : nihil eatenus prodesse insipienti, quatenus ducat ad virtutem aut felicitatem. Vitam vero prodesse insipienti eatenus statuere poterat, quatenus haec ei afferat divitias, honorem, cetera, quae licet a sapiente ἀδιάφορα habeantur, aliquam tamen τοῖς φαύλοις afferre solent laetitiam. Sed ipse Chrysippus nostro loco argumentum affert adjungens : τοιαῦτα γὰρ τἀγαθά ἐστι τοῖς ἀνθρώποις, ὥστε τρόπον τινὰ τὰ κακὰ (τῶν) ἀνὰ μέσον προτερεῖν. Ἔστι δ' οὐ ταῦτα προτεροῦντα, ἀλλ' ὁ λόγος, μεθ' οὗ βιοῦν ἐπιβάλλει μᾶλλον, καὶ εἰ ἄφρονες ἐσόμεθα (1). Non opus est, ut verba, quibus Plutar-

(1) Eadem Chrysippi verba memorantur apud Plutarchum de Comm. Notit. p. 1064 F, ubi additur : χεῖρον γάρ ἐστι τὸ ἄλογον καὶ τὸ αἰσθητὸν εἶναι τοῦ ἀφραίνειν.

chus id absurdum esse probare conatur, refellamus; inest enim in ipsius, quae affert, Chrysippi verbis luculenta refutatio.

Denique a Plutarcho l. l. citatur Chrysippi hoc enunciatum : *οὔτε μονὴν ἐν τῷ βίῳ τοῖς ἀγαθοῖς, οὔτε ἐξαγωγὴν τοῖς κακοῖς παραμετρεῖν, ἀλλὰ τοῖς μέσοις κατὰ φύσιν· διὸ καὶ τοῖς εὐδαιμονοῦσι γίνεται ποτὲ καθῆκον ἐξάγειν ἑαυτούς, καὶ μένειν αὖθις ἐν τῷ ζῆν τοῖς κακοδαιμονοῦσιν.* (1). Cum Stoicorum doctrina illud placitum prorsus congruere supra ostendimus. Plutarchus vero, putans, Chrysippum h. l. sapienti imposuisse officium „relinquendi bona praesentia ob defectum alicujus rei indifferentis", errori est obnoxius. Tale quid enim non tantum Chrysippi verbis allatis repugnat (quibus vita non ad *τὰ ἀγαθά* sed ad *τὰ ἀδιάφορα* refertur), sed etiam ipsi Stoicorum doctrinae. Sapiens non ob defectum rei indifferentis beatitatem relinquet, sed potius moriendo cavebit, ne haec beatitas atque sua ipsius virtus periclitetur.

(1) De dictione *ἐξάγειν ἑαυτὸν* conf. Baumhauer l.l. p. 243.

LOCI TRACTATI

E LIBRO PLUTARCHI

DE STOICORUM REPUGNANTIIS.



THESES.

I.

In Stoicorum antiquiorum doctrina id maxime desideratur, quod principium, *τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν*, haud satis definiverunt.

II.

De repugnantiis Chrysippi, quae a Plutarcho in libro *περὶ Στωϊκῶν Ἐναντιωμάτων* notantur, recte judicavit *Ritterus* : „Einige dieser Widersprüche sind allerdings auffallend und von Bedeutung für die Lehre der Stoiker; die meisten aber liegen nur im Ausdrück, und wurden nur vom Plutarchos für Widersprüche gehalten, weil er den Sinn der stoischen Sätze nicht begriff." (*Gesch. der Philos.* III. p. 515).

III.

Argumento Chrysippi pro dei existentia, quod legitur apud Ciceronem *de Nat. Deor.* II. c. 6, non probatur deum esse.

IV.

Chrysippus in placitis *περὶ παθῶν* non eam affert rebus adversis consolationem, qua eget humana natura.

V.

Injuste Cicero, *Tusc. Quaest.* III, c. 17, Epicurum reprehendit, quod corporeis tantum voluptatibus minuere studuerit aegritudinem.

VI.

Pantheismus ab atheismo non nisi nomine differt.

VII.

In Sophoclis *Antigone*, vs. 129 sq.

καί σφας ἐςιδὼν
πολλῷ ῥεύματι προςνισσομένους
χρυσοῦ καναχῆς ὑπερόπτας —

pro καναχῆς lego καναχαῖς.

VIII.

Sophoclis *Antigonae* versum 450 :

οἳ τούςδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους,

cum Dindorfio spurium judico.

IX.

In Sophoclis *Oedip. Colon.* vs. 265 vocabulum *ὧν* spectat ad *τὰ μητρὸς καὶ πατρὸς* in versu praecedente, et vocabulum *τοῦτο* ad *ὧν οὕνεκ' ἐκφοβεῖ με.*

X.

In eadem tragoedia, vs. 450 :

μαντεῖ' ἀκούων —

— ἁμοὶ Φοῖβος ἤνυσέν ποτε.

pro *ἤνυσεν* corrigendum *ᾔνεσεν.*

XI.

In Platonis *Phaedone*, cap. VI, vocabulo *ἀποῤῥήτοις* Orphica significantur mysteria.

XII.

Episodium de Thersite (*Iliad. β*, vs. 212 sq.) Homero, summo poëta, dignissimum est habendum.

XIII.

Non iis assentior, quae contendit G. H. Bode, *Gesch. der Hell. Dichtk.* III S. 91 : „Es ist wohl anzunehmen, dass die Sitte, Tetralogiën auf zu führen, nicht auf *ein* und dasselbe Fest beschränkt, sondern auf eine Folge von *vier* Festen, die nicht sehr weit von einander entfernt waren, ausgedehnt werden muss."

XIV.

Horatii poëma *Carm.* I, 28, monologus non dialogus est habendum.

XV.

In Horatii *Satir.* I, 4, 11, vocabulum „*tollere*" in malam partem interpretor.

XVI.

In ejusdem *Satir.* II, 5, 20, pronomen „*hoc*" ad praegressa Ulyssis verba (vs. 18) referri debet.

XVII.

Recte judicat Polybius, Lib. VII. cap. 56 : ἡ δεἰσιδαιμονία συνέχει τὰ Ῥωμαίων πράγματα.

XVIII.

Non immerito idem apud Ciceronem *de Rep.* IV. c. 3, in puerili disciplina institutorum Romanorum negligentiam accusat.

XIX.

Populorum historia non prius constat, quam res monumentis ad posteros prodi coeptae sint.

XX.

Religio et societas tam arcto et naturali vinculo copulatae sunt, ut haec sine illa stare nequeat.





